



6






DE ^{RSP PF XVII-254}

ANNO SANCTO,
SIVE
IVBILEO
CHRISTIANORVM.

Dissertatio Tripartita.

ANT. LAVEDANI è Soc. IESV.



TOLOSÆ,

Apud PETRVM Bosc.

M. D C. L.



REVERENDISSIMO ILLVSTRISSIMO QVE
D O M . D O M .

FRANCISCO BOSQVETO
EPISCOPO LODEVensi.



Em tibi (P RÆS V L
ILLVSTRISSIME) Iubileus noster qui ad
te recurrit ; vt quo tempore ad eum Ro-
mam vndique Gentium accurritur,
se tibi ipse vltrò offerat, inque tuas
manus venire ambiat ; & quem sum-
mus Pontifex Vniuersalem, hoc est,
toti Christiano orbi propositum in-
dictumque esse voluit, ipsemet se tibi
vnice addictum velit ; ratus nimirum
veleò se approbandum facilè ab om-
nibus, si à te uno probatum iri con-
tingat ; nec sibi ad summam com-

mendationem videri quicquam defore, si ad Romani Pontificis qua sanctus est authoritatem, tua quoque approbatio accesserit. Et vero quam non immerito ac temere vel ex eodatur facilè intelligi, quod cum multa sint ex quibus summa apud homines confieri solet authoritas; Sapientia, Probitas, Doctrina, rerum usus & experientia, cum dignitate coniuncta; huc in te uno inesse constet omnia: idque adeo palam & publicè, ut ne Roma quidem ipsa, vnde noster hic Iubileus prodiit, ignoret; imo ad istam dignitatem quod attinet, non parum ad eam contulisse videri possit. Non est huc animus de tuis virtutibus dicere; neque enim unius est epistola: sufficit scire impræsens quod universa de tua probitate & sapientia non nouit modo, sed & deprædicat Gallia; tantum in te semper per varias quâ ætatis, quâ honorum &

dignitatum gradus sapientiae probitatisqne eluxisse ut cum cætera, quibus es præditus, decora vnu ac tempore, ut fere fit, parta videri queant, sapientia & probitas tecum natæ meritò existimentur. At nusquam se probarunt magis aut palam fecere, quam in diuersis publicæ rei administrationib⁹ in quibus tata cum sapientiæ & integritatis laude versatus es, ut quod de S. Ambrosio perhibent, jam tūm quasi prælusisse Episcopatui visus sis : nosti planè quod de hoc sapientissimo sanctissimóque Antistite proditum est memoriae ; videlicet ipsi, cum à Præfecto prætorij Probo ad regendum nobilissimas citerioris Galliæ Prouincias mitteretur, dictum ab eodem Præfecto ; iret porrò ageretque non vt Iudex sed vt Episcopus: quid tibi à sapientissimo Galliæ Cancellario cuius instinctu ad amplissimas celeberrimásqne totius regni Pro-

uincias Dominica cum authoritate
missus es , dictum fuerit nos nesci-
mus ; at quid à te sit præstitum vide-
mus ; ita nempe egisti , téque ita ubi-
que locorum ac rerum gessisti ut Epis-
copatu dignus semper sis habitus
atque adeò ad eum jam tandem pro-
motus summa cum bonorum om-
nium gratulatione , qui alterum in te
sibi videre videntur Ambrosium :
Nec longe falli eos opinione sua,
præter jam dicta , etiam quæ dicen-
da supersunt satis liquidò compro-
bant . Nam quod proxime sequitur
de doctrina & eruditione tua ; quid
facilius factu quam Ambrosianæ
eam assimilem ostendere , vt pote iu-
ris utriusque scientia imprimis , tum
multarum rerum , maxime Eccle-
siasticarum intelligentia , nitore
ad hæc & elegantia sermonis utran-
que insignem , ac demum utrunque
orthodoxæ religionis laude com-

mendabilem ; extant lucubrations
tuæ ex quibus id planum fieri in
promptu est ; quamquam & multo
plura & potiora habentur quæ me-
ditaris atque in publicum dare appa-
ras , quæque docti omnes expectant
votisque adeo omnibus expetunt.
Par est quod de vsu rerum & expe-
rientia nunc quoque subsequitur ;
quidni etenim cum idem vitæ insti-
tutum tenueris , in iisdemque tracta-
tus negotiis ac studiis , iisdem perfun-
ctus muniis , atque eadem rite emen-
sus fueris spatia honorum & admini-
strationum ciuilium , inferre etiam
liceat quod consequens est , eiusdem
tibi pariter experientiæ & vsus rerum
nihil porro videri deesse . Quod pla-
ne ita esse norunt mecum vnâ omnes
qui te norunt , à quibus jauidum
haberis negotiorum & functionum
omnium quâ ciuilium & politicarum
quâ Ecclesiasticarum experientissi-

mus, rebusque agendis dexterimus:
habemusque ea de re recens jam
testimonium Occitaniæ totius publi-
cum ac solenne, cuius in generalibus
comitiis suffragio videmus his tem-
poribus difficillimis grauissimam
procurationem Prouinciaæ apud Re-
gem supremumque Regni Concilium
fidei tuæ concreditam. Postremò dignitatis quantulo minus
Maximo Antistite tu habeas nihil at-
tinget dicere, dixi jam equidem tibi
cum eo commune istud fuisse, ut no-
bilissimarum Galliæ Prouinciarum
administrationi suprema cum Iurisdi-
ctione præfectus sis, indeque produ-
ctus ad Pontificiam sedem ascende-
ris; quid te ad extremum maneat &
in quam spem diuina te Prouidentia
reseruet, nescimus; id vero scimus
maxime, si dignitatis quidem ac me-
riti ratio dicitur, Te ad summa quæ-
que natum & factum videri. Quæ-

cum ita sint omnia quid mirum , si &
authoritate es apud omnes longè
maxima, & si Iubileus Te noster pre-
hensare querit , à Te consignari vult,
subque tuo nomine in publicum pro-
dire ; si vnum Te ex omnibus optat
in cuius fidem & clientelam se dedit?
Quin mirum potius videri debeat;
Nisi Tu illum humaniter excipis fo-
uesque ista autoritate & patrocinio
quod Tu nemini vñquam petenti de-
negare es solitus quodque Iubileus
noster quasi suo iure depositus; & qui-
dem multis , ut videtur , nominibus:
nempe & quâ Iubileus est siue annus
sacer & Religiosus ab Opt. maximó-
que sacrorum & Religionum Antistiti-
te ; & quâ Romanus , ab eo qui cum
in Romanorū Prouincia atque etiam
in Colonia natus , tum Romani iuris
consultissimus est; id præterea Romæ
debet quod ius habet de Iubileis iu-
dicandi : quâ demum Innocentianus,

id est, S. D.N. Innocentij authoritate
& sanctione indictus, ab eo qui re-
centi eiusdem SS. Pontificis beneficio
ac gratia auctus est potestate dignita-
téque Pontificia; certe quem tam be-
ne affectum scimus erga Innocentium
Tertium, cui nihil admodum debe-
bas, ut scripta eius reconditiona in
lucem edere tuisque præclaris obser-
uationibus illustrare non piguerit;
quid porrò à te factum iri sperandum
est erga SS. Pontificem Innocentium
de Te quam optimè meritum? næ tibi
nihil vñquā fore antiquius pensiusque
quā vt cum eius augustū nomen, tum,
quæ nomen ipsius præferent sanctio-
nes & decreta, interque ea imprimis
ad Iubilei huius nostri inductionem
constitutionēmve qnod attinet, in
summa semper veneratione habeas;
nec jam alio hīc opus sit nomine quo
se tibi Iubileus noster commendet,
nisi vnius Authoris; nisi forte & ipsius

Interpretis, quæ tua est bonitas , ali-
quid apud Te commendatio valeat ;
quippe quem tu non ciuem modo
tuum ac popularem , sed Gentilem
etiam non es dedignatus agnoscere :
tametsi nulla re alia se commendabi-
liorem ipse putet, quam quod, prout
reuera est, dici haberique velit.

Illustriss. Dom. Tuæ ,

Deditissimus ,

Tolosæ , postrid.
Id. Decemb. 1649.

ANTONIUS LAVEDAN,
è Soc. IESV.



CARMEN INSTANTI

Iubileo conceptum atque in gratiam Authoris editum à R. P. Vitale Therono è Soc. IESV.

Panditur augusti spatiis redeuntibus Anni
Signatum ratilo Iubilei sidere Cœlum ;
Ut pluvio Romam mundi Caput irriget auro.
Et medicam stillet fæcunda nube salutem.
Attritæ memori scelerum formidine mentes,
Seu quinti excruciat & acerbo vulnere pugnūt,
Seu decimi torquent feralia Crimina Lustri ;
Aut etiam sæcli dolor immedicabilis urit.
Huc oculos huc ferte pedes ; & rite precati,
Quæ Petri Cineres illustriaque ossa coluntur
Æde, salutares vrbis duo sidera Diuos
Oscula Liminibus speciosis, oscula sanctis
Figite, quæ splendent media inter serica Thecis;
Inde salus vobis & pleno gratia cornu,
Et pia sincera manabunt gaudia pacis.
Aureus ecce vocat quem læui pumice teclum
Docta manus multa miniauit luce Libellus.
Ille sacrum monstrabit iter, vigilisque salubres
Pontificum curas, peregrinantumque dolori

*Indultas pietatis opes memorabit & urbis
Atronitæ studium, moestaque in veste pre-
cantum
Felices Lacrymas auditaque vota docebit.*

*Sed bene quod primo sapiēs in limine Präful
Scribitur, ut Calamo cæcas dispellere noctes
Formosumque potens tenebris inducere solem,
Supplicibus præat pompis, facilisque decoro
Illustret lepidum doctrinæ lumine Librum,
Et sacrum radius virtutū ardentibus Annum.*



*FACULTAS R. P. PROVINCIALIS
Prouinciae Tolosanæ Soc. IESV.*

Ego infra scriptus Prouinciæ Tolosanæ Soc. IESV Provincialis potestate mihi ad hoc facta à R. P. N. Generali, Facultatem concedo, ut hæc Dissertatio Tripartita de Anno Sancto siue Iubileo Christianorum P. Ant. Lauedani Soc. nostræ Presbyteri, ab aliquot eiusdem Soc. Revisoribus approbata, typis mandetur. Datum Tolosæ, vigesimo tertio Septembris, Anni millesimi sexcentesimi quadragesimi noni.

ANT. SAVIGNACVS.

Approbatio Doctorum.

Nos sacræ Theologiæ Regij Professores in Academia Tolosana legimus attentè Tractatum R. P. Antonij Lauedan è Societate IESV, de Iubileo Christianorum siue Anno Sancto, eumque publica luce dignum censuimus, ut pote tempori accommodatum, neque illa in re fidei Catholicæ, aut bonis moribus contrarium & ad Animarum salutem admodum utilem: In cuius rei fidem subscriptissimus tertio decimo Decembris, Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo nono.

GABRIEL DE PELISSIER Sacré Facultatis Theologiæ Professor Regius & Decanus.

F. SIMPLICIANVS Professor Regius Augustinianus.

*Permissio Illusterrimi ac Reuerendissimi
D. CAROLI DE MONTCHAL,
Archiepisc. Tolosani.*

VIsa Professorum in Sacra Theo-
logia approbatione permittimus
editionē Libri cui Titulus de Iubileō
Christianorum. Datum Tolosæ de-
cimo tertio Decembris, anni mille-
simi sexcentesimi quadragesimi noni.

C A R O L V S Archiepiscopus
Tolosanus.



PARS



PARS PRIMA.
DE ANNO SANCTO
SIVE
IVBILEO
CHRISTIANORVM
in genere.

*Quid sit annus Sacer Iubileus, deque
ipsius nomenclatione.*

CAPUT PRIMUM.

ON est hic sermo de anno Hebræorum Iubileo de quo Leuitic. 25. Quæstio est de Iubileo Christianorum anno, de quo hæc duo sciri nūc quidem imprimis attinet; vnum cit quidnam sit; quidue Iubilei nomine intelligendum hic veniat; alterum vnde porrò id nominis trahi contingat.

De priori affatim multa videre est in Bullis

A

summorum Pont. pro eius indictione aut insti-
tutione editis. Nam in constitutione Pauli 2.
quæ incipit; Ineffabilis Providentia, &c. Est
que 7. in Bullario, dicitur, annus plenaria Remiss. & gratiæ, & Reconc. humani generis:
Inde opinor à Sixto 4. in sua Extrau-quæ extat
in iure canonico inter communes lib. 3. de
poenit. & Remiss. vocatur ann^o Remiss. & gratiæ:
Nec non & ab Alex 6. annus Remiss. & gaudij,
ac Reconc. humani generis piissimo Redempt.
noſtro. Clem. 8. constitutione quæ incipit an-
nus Domini, &c. Et est Quinquagesima oct. in
Bullar. vocat annum Domini placabilem an-
num Remiss. & veniæ, tempus acceptabile,
dies æternæ salutis, annum Christiano populo
imprimis optabilem & iucundum sanctiss. Iu-
bilei, annum verè Sanctum. Vibani. item 8.
constitutione quæ incipit omnes gentes plau-
dite, &c. an. hunc vocat annum diuino Cultui
dicatum ac feruentioribus Christianæ pietatis
studiis destinatum, an. Remiss. ac veniæ,
tempus acceptabile, dies salutis; Denique
S. D. N. Innoc. X. in sua indictione vocat
an. Sanctificationis atque indulgentiæ. Mitto
alia id genus non pauca ex quib. facile arguas
quid de hoc anno definiant S. S. P. P. ut rem
hac vel vnica eaque præcisa definitione distrin-
gam. Est itaque Iubileus noster an. Sacer &
solennis ex institutione Pont. Romanorum,
atque eorundem beneficentia spiritualibus gra-
tiis, puta indulgentiarum & priuilegiorum do-
nis auctus, Romæ dumtaxat peragendus &

quidem statis temporibus, utque usu modo
receptum est, an. quouis 25. atque haec nunc
pro priori huius cap. questione sufficient: De
posteriori itidem paucis agendum.

Vocem hanc originatione hebraicam esse
inter doctos facilè conuenit, ne illi quidem ipsi
quibus visum eam ab Iubilare, siue Iubilo, deri-
uatum ire, abnuunt, si longius atque ab origine
arcessas, oriundam videri ab hebraico Iubal, de
quo Genes. 4. sed neque multorum neque mag-
gni nominis Authorum est haec opinio, longè
plures atque adeo pluris sunt qui a Iobel peti-
velint quib. ipse subscribo libens; difficultas
tantum est circa significatum huius vocis,
cum enim varius sit ac multiplex variis etiam
interpretamentis ansam dedit, aliis quidem pro
buccina aut cornu arietino accipientib. siveque
Iubileum dici interpretantibus quod buccinæ
sono edici solitus fuerit. Aliis pro quiete &
Remissione ex 70. qui Aphelin, hoc est Remis-
sionem, vertunt. Aliis pro libertate ex Iose-
pho qui Eleutheriam transtulit: aliis pressius,
& quidem, ut apparet, ac Rutilio Benzo-
nio placuit, textui sacro aptius, an. ipsum
met quinquagenarium exprimi ea voce pugnan-
tib. Aliis porrò aliter argutantibus, at mihi
Serar. pro colophone hic esto qui Iobel ipsum a
themate Iabal, hoc est adducere, & afferre, non
quidem simpliciter, sed cum gaudio, & lætitia,
certus deriuare, nihil aliud sonare vult nisi indi-
cem lætitiae vocem, siue assam siue organicam,
vnde & ortum putat Iubalis nomen ipsumque

Latinorum Iubilare ac Iubilum; est ergo Iubilei nomen sumptum ab hebreo Iobel hunc Iabal atque in 7. Coniug. Iobel in qua scilicet repe- riri author est idem Scerarius. Quare & Bellar. lib. 1. de indulgen. cap. 1. an. hunc Iubileum quasi utilem & fructuosum dici interpretatur. Atque hinc est cur aliquib. addubitare subeat si ne Iobeleus vel Iobileus dicendum potius quam Iubileus, verum haec Logomachia est de nihilo admodum, de qua videndus ipse Serrarius in cap. 6. Iosue q. 6. nos communi Ecclesiae usui insitimus, & cum multis loqui sapientiae partem ducimus.

De Anni huius origine seu Antiquitate.

C A P V T II.

CVm non desint qui putent Iubileos Christianorum ex Iudaicis descendere eorumque velut quandam propaginem existere, videndum nobis est i. quænam fuerit origo Iubileorum veterum Iudaeorum, quo melius tota haec difficultas ab ipsis ducta principiis explicetur reiectisque iis quæ falsa occurrent, veritas planior fiat. Quare hoc caput in varias sectiones partiti conuenit, quarum priorib. quæ ad Iubileum veterem Iudeum spectant, discutentur, posteriorib. de nostro seorsim agere instituemus, Deo tamen, ut bene speramus propitio.

*Iubileos Hebraeorum neque ab ortu mundi,
neque ab Abraham sed à Moyse
originem trahere.*

SECTIO PRIMA.

AB Orbis conditu Iubileorum principium arcessere somnium est Cabalistarum & Rabinorum, quib. subscriptis vñâ cum Eusebio plerique Chronologi, non, vt equidem opinor, quod reuera senserint jam tum institutos fuisse vel aliquem eorum usum extitisse; sed ad usum Chronologiae dumtaxat, vt videlicet dimensa temporum spatia per quinquagenarias annorum periodos melius constarent. Quare hæc Iubileorum series commentitia est atque imaginaria, notwithstanding interuallis temporum ex usu merè arbitrario seruiens instar sæculorum & æonum vel potius olympiadum in Græcia, lustrorumue apud Romanos antiquitus: Vnde aliqui, vt eos à veris mosaicisque legalibus secernant, suppositios ac spurios nec non & prolepticos quod methodi gratia per prolepsim seu anticipationem usurpari consuerint, appellant: Sunt qui mundanos nominent, non tam quod mundo æquales sint vel suppare (quamquam & hoc nomine id habent) sed quod mundi totius cōmunes habeantur non Iudæorum aut gentis vnius proprij, quales fuere Mosaici. Plura-

de iis videre est apud Annalistas & Chronologos
præsertim Salianum Tomo 2. sub anno mun.
2633. & Tomo 1. passim : mihi enim sermo
hic est de Mosaicis sive Hebræorum Iubileis
de quibus constat minime mundo synchronos
existere.

Enimvero id mecum vnâ præter alios fa-
tetur qui Abrahamum eorum authorem fa-
ciunt apud Historiam Scholasticam in Gene-
sim : vbi traditur Abrahamo è prælio ad versus
quinque reges prospere gesto (vti fertur Ge-
nesis decimo quarto) redeunti reportata non
modo victoria sed & ingenti præda atque adeo
Loth captiuo iis crepto , cum de gratia Deo
referenda cogitaret , nihil visum potius , for-
tean summi Sacerdotis Melchisedech instinctu
& consilio , quam vt Iubileum institueret
annum videlicet sacrum quem voluit per sin-
gulos deinceps quinquagenos obseruari ; ni-
mirum quia tum forte contigit id esse ætatis ,
quinquaginta videlicet annorum , Loth , cum
libertati est redditus : vel certe ut malunt alij
ratione ducta ex astronomiæ scientia cuius cum
esset callentissimus utpote homo Chaldaeus ,
non ignoraret solere quinquagesimo quolibet
anno mirabiles quasdam stellarum anaphoras
sieri singulatis energiæ ac virtutis , e quibus
maximæ rerum conuersiones & anastrophæ
existunt : ita illi quidem : at quonam authore
norunt ipsi , neque enim proferunt . Certe
scriptura quæ in rebus Abrahami enarrandis
impense accurata est : horum non meminit ;

neque Iosephus neque Philo Iudæi, nec quispiam veterum quod sciam; itaque inter cabalica rabinorum somnia, est sane cur & hoc commentum reijciam. Quod si id etiam libeat ad normam Criticorum exigere, est vtique cur suspicer à quodam Romanarum antiquitatum studioso fuisse ex cogitatum: etenim cum apud Liuium, Dionem, Suetonium, aliosque scriptum legisset solitos olim Romanos in grauibus periculis etiamque dum iis jam perfundi erant, vovere & facere Ver sacrum; de quo Paulus ex Festo, nec non & Liuius lib. 22. & alibi: itemque ludos seculares dictos quod quoquis seculo id est post centum annos fierent; aliosque indidem vicennales & decennales quinquenualésue, quolibet quinquennio aut decennio vicenniōe peragi solitos in memoria victoriarum C. Cæsaris, Cn. Octauij, &c. vnde & ludi victoriæ dicti: de Abrahamo simile quid in re simili placuit comminisci: votuum scilicet annum sacrum eumque quinquagenarium ac Iubileum ut re à Romanis vel etiam à Græcis, quibus suæ erant trieterides & tetraeterides votiuæ, accepta; saltem ab hebreis mutuatum nomen præ se ferret: sed haec fatus satis aduersus Chimæram velitatum est: ad rem ipsam cominus aggrediamur.

Institutio Iubilæi primitus exstat in Leuitico Mosis à Deo præscripta in hæc verba: Locutusque est Dominus ad Moisen in monte Sinai dicens loquere filiis Israël & dices ad eos: quando ingressi fueritis terram quam ego dabo

vobis Sabbathizes, &c. numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum id est septies septem quæ simul faciunt annos quadraginta nouem & clanges buccina mense septimo decima die mensis, &c. cap. 25. vnde hæc duo inferunt communiter Interpretæ, quæ huc pertinent: vnum est tunc primum latam Hebræis diuinitas legem de Iubileo; Alterum eius obseruationem & usum non ante coepisse quam potiti sint Chanaanitidis terræ, quod accidit anno mundi 2633. sub Othoniele ex Saliani calculo: quare & nos hac autoritate freti pariter inferimus errare ac decipi eos qui aliquid contra afferunt, qui que Iubileorum institutionem aliam comminiscuntur quorum nos commenta plane rei scimus falsique inde & vani reuincimus: Certi adeo hinc Iubileorum originem ducere, hic primam eorum Epocham ac caput collocare.

Et vero cum non alia sit lex aut origo apud Hebræos annorum Iubileorum quam sabathicorum vti videre est in allato capite Leuirici; quis nescit sabathicorum institutionem tum primum quidem factam; usum autem non nisi post ingressum in Chanaanitidem occœpisse: proinde falsi hinc depræhendi quod vidimus sectionis huius initio creditum fictum ab aliquibus de extrema Iubileorum ab usque rerum exorsu petita antiquitate: quod quidem si de fictitiis atque imaginariis dictum velint, esto ut volunt, non repugno; sin de veris Iudeorum Iubileis legalibus & Mosaicis; nihil-

lo minus quam pro sacrī repugnandum duco; falsi etiam inde deprehendi & argui quod post modo de Abrahamo Lubilei authore ex historia Scholastica productum fuit: qui enim si hoc sit, fieri potuit ut aut Mosem hoc lateret antiquos omnes aut nemini aliquando visum sit commodum scribere, fueritque expectandus Scholasticæ magister qui id tandem aliquando mundum doceret; sed enim scimus esse quos delectet micare in tenebris; quos nihil equidem moror, cum liquido satis constet ex scripturæ testimonio de Lubileorum Epochæ & institutione.

Quibus sic quidem positis & sacrosancto diuinæ legis oraculo fannatis, quis non videt inde ad extremum facile inferri, neque nostrorum Lubileorum antiquitatem ab ultimis usque temporibus illis, nedum à rerum exorsu, esse repetendam: ut enim daremus nunc sane eos ab illis hebraeorum descendere ac propagari; cum illos iam constet non inde originem & initium sumere; idem de nostris dici necesse est: restat ut an à Moysi una cum Iudaicis ortum habent, videamus.

*Iubileos veteres Mosaicos minime ad Christum
usque; nedum ad nostra hæc tempora
productos esse; neque cum nostris
ullatenus continuari.*

SECTIO II.

Qui volunt assertam nostrorum Iubileorum antiquitatem eos student cum Mosaicis connectere atque ex iis continentem quandam seriem ad nos usque deductam sibi singunt ut vel sic planum fiat, à Moysè repetendam esse eorum originem.

Vérum quo figmentum hoc facilius conuellam duo mihi discutienda hic sunt; primum fuerit ne reuera huiusmodi series & successio continua Iubileorum veterum cœpta ab ipsa Mosis institutione aut ingressu in Chanaanitudem & continenter porrecta ad extrema usque Iudaicæ gentis tempora vel certè ad Christum usque & Christianorum initia: alterum an hæc successio Iubileorum veterum valuerit cum nostris continuari: hæc duo si semel expediero plane expeditum erit id omne quod hic queritur; de priori igitur sic statuo.

Quanquam lege diuina sanctum fuerit ut annus quilibet quinquagesimus apud Hebræos Iubileus haberetur, pro ut ex cap. 25. Leuit. jam vidimus; tamen fuerit ne ita habitus, nec ne, haud satis liquet; sunt plane qui negent hoc argumento quod nulla deinceps in con-

textu scripturæ Iubileorum mentio fiat; perinde quasi incredibile habendum sit; si contigis-
set eos celebrari aliquando, nusquam scripturæ
id exprimi; at argumentum hoc negatiuum est
quo nihil conficeri apte queat: sentio euidem;
quare aliunde insto; atque idem confirmo vel
ex eo quod vix apparer quandonam celebrari
obseruarique ij potuerint: certe ut demus, ad
Babilonicā usque seruitutem potuisse obseruari
commode, quod tūm distinctio tribuum & in
tribibus bonorum quæ singulis propria familiis
essent secretio adhuc existeret; at vero captiu-
tatis tempore haud potuisse palam est; cum
nulla tūm Iudeis prædia & arua, nulli suppe-
terent serui, quibus remissio concedi posset:
atque id longe magis sub Machabæis quo
tempore principes Græci rerum potiebantur
& res Iudaicæ pessimo erant loco; neque porro
ad Christum usque meliore unquam fuerunt;
quare promptum est coniçere interruptam
admodum atque adeo interuersam penitus
Iubileorum seriem neque ad Christum conti-
neater progressam.

Quod si non defuerint tamē qui iugiter re-
cenundos & numerandos censeant; numeratos
euidem adduci possum ut credam, obseruatos
non item: Quod videnter pariter sensisse præ-
ter Petau. Lorin. Serar. & complures è no-
stris; etiam ex sectariis Scaliger, & Mercator
quorum hic cum annos quidem sabbaticos
iugiter usque ad Ierosolymorum exidium,
quod sub Vespasiano contigit, proferat; Iubi-

leorum non meminit : ille autem in prolegom.
ait præceptam fuisse non receptam iubilei ob-
seruationem tametsi postea (vt illi merito ex-
probrat Petavius) dicti huius immemor doceat
non semel Iubileos & que ac sabbaticos etiam
in Chaldæa seruatos fuisse : qua in re quod
secum ipse pugnet , viderit ipsem et, quod pri-
mum dixit probabiliter verèque , in quo & ipsi
nobiscum conuenit, non queo quin approbem.
Atque hinc manet Iubilæos Hebræorum per-
petuum ac iugem processum nequaquam ad
Christi usque tempora habuisse.

Iam denique post Christum multo etiam
minus Iudeis datum est, Iubileorum ritibus &
obseruationi insistere ; maxime vero postquam
disjecti disturbatiq[ue] patriis sedibus atque ad
peregrinitatem redacti extores ac vagi possim
in alieno degere cœperunt , nihil soli aut glebæ
possidentes : quin, vt possiderent forte alicubi,
non tamen ideo Iubileorum usus foret : nam si
Oleastro fides , non nisi in terra Iudea fieri
solita erat possessionum ea redhibitio ita vt si
forte alibi uspiam agros emi contingeret , vel
tum etiam cum sui iuris erant ; hi emptorum
proprij iure perpetuo fierent nec ullis Iubileo-
rum legibus haberentur obnoxij : quod vel ipsa
legis verba non obscurè innuunt ; dicitur
, quippe ; quando ingressi fueritis terram quam
, ego dabo vobis : quo ostenditur non nisi in
ipsa promissionis terra Iudeis locum fuisse.
Quamobrem indeliqueret vel nullam fuisse ob-
seruationem præmixus legis illius vel raram

admodum perque diu ac multiū intermissam; ita vt continua Iubileorum series ad Christum deducta catenæ illi homericæ habenda sit persimilis quam in poëtarum commentis reponimus, atque haec tenus de priori huius sectionis parte: jam ad alteram quæ sic habet.

Vt singamus Iubileorum seriem ad nostra hæc usque tempora productam, pro eo ac singi solet à Scaligero aliisve Chronologis; non tam quod in usu fuisse putetur, quam, vt reor, dimentiendis idonee temporum periodis; vt tamen id demus modo; patet nullatenus posse ipsos una cum nostris continuari ac cohærere. Cum namque utrorumque dispar longe sit ratio atque progressio proclive est ostendere fieri non posse vt inter ipsos facile conueniat; idque facile sit cuius, eorum qua ordinem & processum, qua naturam advertenti: etenim vt de processu primum dicamus postea de natura dicturi, videndum imprimis quid factò hic opus quo Iubilei veteres Mosaici cum nostris componi valeant; nempe ita inter se concurrant ac congruant oportet, vt primus noster ad extrellum veterum eadem proportione referatur qua hic ad suum superiorem proximum; puta vt quemadmodum hi duo distabant inter se: inter ualio quinquaginta annorum ita & illi: quod sane eueniet si accidat natalis Christi annū aquo ducitur ratio apud nos numerandi Iubileos, incidere in veteris Iubilei annum: tunc enim verum fuerit annum quoque subsequentem quinquagesimum pro Iubileo habendum ex

veteri lege Mosaica quæ ferebat ut numeratis septem hebdomadis annorum hoc est septem septenniis quæ faciunt annos unde quinquaginta, proxime sequens annus nempe quinquagesimus sanctificaretur & Iubileus esset. Hac de causa, opinor, aliqui Christum A. M. 4050. natum asseruere, rati sic posse componi facile & continuari Iubileos veteres cum nostris.

Vixit opinione sua falli eos promptum est ostendere nam cum hic non agatur nisi de veris & legalibus Iubileis Hebreorum, illos de mundanis & imaginariis loqui quis non videt? siquidem de his, ut nos supra diximus, vere dici potest occupare annos omnes singulosue quinquagenos à mundi conditu unde numerari incipiunt: at vero idem de aliis dicere quid aliud est quam utrosque confundere? cum tamen constet eos non minus discrepare inuicem ratione temporis quam institutionis; quod sic paucis demonstro. Vidiimus jam ex Saliano obseruari coepitos legales illos ab Israëlitis anno Othonielis 33. qui fuit. M. A. 3633. itaque si inde eos numerare incipias, nunquam euenire omnio deprehendes ut aliquando cum inmundanis concurrant aut in ipsorum annos, (cuiusmodi iste est 4050.) incident ut suppstanti liquidum fiet: quod si stare non placet Saliani computo; non moror; adhibeant aliud & si quidem placet, Petauanum quippe quod haberi queat summe exactum: ex eo primus Hebreorum Iubileus cadit in annum. M. 2546, quid inde potius habent; nihil sans

admodum ; certe hinc numerando nunquam
in venies concurrere , inque cundem annum
coalescere Iubileum vtrumque, videlicet Mo-
saicum & mundanum ac proinde nec in hunc
de quo hic controvèrtitur 4050.

Quamobrem alia quæpiam ratio melior in
cunda est : scio euidem tam multa & varia
afferri solere à Chronologis de anno natalis
Christi ut fors esse possit quod hic quæritur ;
memini me legere coaceruatas alicubi (est hoc
apud Henr. Haruilleum in sua Isag. Chronol.)
opiniones de anno ortus Christi plures trin-
ta , quarum aliquæ ab aliis discrepant totis
mille cœque amplius annis in hoc Chao atque
in tanta colluuie discrepantium opinionum
forte continget ut aliqua nanciscatur & offen-
dat non nihil quod in eorum rem faciat ; sed
detur hoc, neque enim iuvat hic operam ludere ;
nihilo plus effecisse eos inde, sic ostendo. Ete-
nim cum hic quæstio sit de Iubileis ab Ecclesia
peragi solitis nihil de anno natalis Christi te-
nendum aut requirendum est aliud præter id
vnum quod tenet & statuit Ecclesia : At vero
Ecclesiam scimus, ut ex Rom. Martyrol. con-
stat , constituere natalem Christi annum in
anno mundi quinquies millesimo centesimo
nonagesimo nono : Sic namque quot annis.
o. Et. Cal. Ian. recitari publice audimus ; quod
Baron. annotat ex antiquis Ecclesiæ tabulis
secundum supputationem Sept. ex Eusebij
Chronico depromptum haberi. Quod cum
ita sit videant nunc qua ratione fieri queat ut in

hunc annum 5199. incurrat Hebræorum Iubileus qui ab anno 1633. iuxta Saliani computum exorsus & per quinquagenos inde progressus cadere non valet nisi in 33. & 83. cuiusque sæculi aut iuxta Petavianum cœptus an. 2546. indidemque per quinquagenos procedens non incurrit nisi in quolibet 46. & 96. vt vel digitis supputanti paret atqne haetenus prior ratio Chronologica quæ probat haud potuisse continuari aptarique Iubilæos veteres cum nostris.

Posterior sumitur ex natura rei siue ex naturali differētia utriusque Iubilæi quā sic explicō breuiter. Quæ continuari & coalescere dicuntur, ea necesse est eiusdem esse omnino aut affinis naturæ; dissimilares enim & quæ disparata sunt ægre sociātur: quapropter ut cætera non desint ad continuandos componendosque inter se Iubilæos veteres & nostros necessaria, vel vna certe ipsorum inter se differentia non parum officret: sunt illi quidem cognomines sed tantam habent homonymiam ut de iis æque ac de rebus homonymis dici vere possit non nisi nomine tenus conuenire, re ipsa multum discrepare: nam ut alia omittam cum vetus ille non nisi ad cultum ciuilem & politiam mere humanam & temporariam comparatus fuerit: noster hic ad spiritalem animæ salutem cum primis atque ad Dei cultum totus spectat nempe religionis pietatisque sanctissimis functionibus exequendis plane sacer: Charitatis omnibus officiis, precationibus assiduis, supplicationibus

tionibus publicis, denique obeundis rite Sacro-sanctis qua pœnitentiæ qua Eucharistia mysteriis, Indulgētiarum beneficio soluendis cōscienciæ nexibus noxisque omnibus, Deo quauis ope placando conciliandōe addictus : cum vetus ille Iudaicus non nisi terrenis rebus ac temporariis, cessatione agrorum eorūmque quodam veluti postliminio, seruorumque manumissione aliisque id genus, insignis & commendatus haberetur

Viderint ergo nunc qui veteribus illis Hebræorum Iubileis nostros inferere & continuare satagunt, quid tandem agant; num diuina humanis, cœlestia terrenis, sacra profanis, terræ, cœlum, ut dicitur, miscere parent. Certè Christus vetuit veteris panni scrutum vesti nouæ consarcinari; an vero hoc non est quod ipsi faciunt: dum Iubileos veteres velut laciniā & centonem quempiam legis antiquæ, nostris assuunt: quod minus decere nemo est tam lippus qui non videat: sed neque etiam fieri posse, sequens sectio demonstrabit.

Iubilæos Hebræorum vel ipso Christi aduentu antiquatos ac desitos esse.

SECTIO III.

SAt scimus jam pridem Iubilæorum usum apud Iudæos esse desitum nec volam modo aut vestigium eorum superesse: etenim, prout paulo ante docui, cum jam

exilio ac peregrinitate damnati sint, nec ex Abrahæ patrimonio quicquam præter lentem cum prophano Esaü reliquum habeant; quorum sum attinebat Iubileorum ceremonias & legem, quæ potissimum protuendis afferendis que patrimoniis latæ erant, permanere; frustra omnino id fuerit, sublato quippe eo omni quod ex eorum republica reliquum erat, leges illas omnes politicas & ciuiles tolli par fuit; nam principali summoto necesse est accessorium etiam corrueat. Ne quicquam igitur Iubileorum prædiorum aruorumque possessionibus recuperandis instituti, dum nihil modo habent miselli quod possideant. Præsertim vero cum (ut ibidem testigi) neque si multarum maximarumque possessionum Domini essent Iubileorum legibus tenerentur; quippe quas non nisi in solo patrio locum habuisse diximus ex Oleastro: nemus ergo in hac extrema bonorum omnium penuria iisque rerum angustiis in quibus versari eos hoc tempore perspicimus.

Verum quoniam ex accidenti hoc est, quid res ipsa per se ferat videamus; nemo nescit legem Mosaicam Christi aduentu penitus abrogatam, nisi qua parte moralis aut iuris mere naturalis fuit; quatenus vero ritualis duntaxat atque ad ceremonias gentiles & patrias relata, quin Christi Euangeli locum cederet, non potuit: nempe umbra fuit lex vetus quæ Christo accedente, tanquam ad diuini solis præsentiam, discussa est: figura prorsus oblita atque abolita; veteris synagogæ mysteria vocat

Apost. Galat. 4. egena infirmaque elementa quæ in Christo euacuata esse ait. Coloss. 2. vocat ceremonias antiquæ legis umbram futuræ ; corpus autem Christi esse. Rom. 10. ait Christum finem esse legis , non tantum ut ico-pum, sed ex August. 1. 2. Contra aduersarios legis cap. 7. ut terminum quod in eo demum finem acceperit : sic 2. Corinth. 3. Mois is velamen. ait in Christo euacuari : quid plura nihil utique apud eundem frequentius quam quod hic agitur ; certè in epist. ad Galatas totus est in probando Iudaismum penitus à Christo fuisse sublatum : unde & eos grauiter insectatur qui ex eo non nihil in Christianos ritus deriuare conabantur quos Euangelij euersores appellat : absit ergo ut nos quicquam huiusmodi attentare animum inducamus : quin potius sic contra statuimus & definimus , quæcunque ad ritus veteres Iudaicos pertinebant per Christum fuisse prorsus antiquata interque alia quæ ad Sabbathicos quâ dierum quâ annorum cultus necnon & quæ ad Jubileorum ceremonias spe-lantia in vsu olim fuere sic ad Christum offendisse ut statuæ illius babylonicae instar funditus euersa comminutaque pessum ierint.

Quaque & hic Corollarij loco libet obseruare , quod præclare ab aliis animaduersum reperio , ita nimirum antiquæ legi à Christo obrogatum ut non nisi meliore subrogata id effectum sit : cum enim nihil ad perfectum adduxerit lex, Hebræ. 7. opus fuit diuina Christi opera ac virtute qua perficeretur ipsa , sicutque

perfecti operis aliquid edere posset : itaque venit Christus & antiquam legem nactus effectam ac prope emortuam ianouare instituit ; erat illa rude quoddam specimen sapientiae in mysterio absconditae, 1. Cor. 2. prelato fuit Christus qui supremam manum admoueret atque opus perficeret. Hoc enim vero est quod Christus ipse met protestatur Math. 5. dum ait se venisse non ut legem antiquam solueret sed ut impleret, hoc eit perficeret & consummaret : quod etiam effecit non solum naturalia legis , vt loquitur Irenæus , 1. 4. c. 27. videlicet quæ iuris erant naturalis, clarius explicans quam ante unquam explicata fuerant & diuini spiritus gratia obsignans , sed quæ ad ritus ac ceremonias spectabant ita innouando interpolandoque ; vt pro vulgaribus atque obsoletis eximia atque usitata, pro corporeis spiritualia, pro terrenis coelestia exhiberet. vt de Christianis quidem legibus multo potiori iure dici queat quod de suis Iustinianus Imperator iactasse fertur ; ut videtur est in proem. pandet. quia nostris temporibus talis legum inuenta est permutatio, qualem & apud Homerum Glaucus & Diomedes inter se faciunt dissimilia permutantes, aurea æreis, centena nouenariis ; Iliad. 6. Ita Diuus Augustus de suis legibus: at quanto sane potius de suis Christus præ illis Synagogæ, quanto nempe præstat baptismus, circumcisioni, agno Paschali, mysterium Eucharistie; sacrifici sive illis omnibus cruentis , incruentum missæ sacrificium : quid attinet omnia persegu-

cum nihil sit Iudaici iuris quod melius non fecerit Christus; quod vel in nostris modo Inbileis planum fiet.

Jubileus noster longe præstat Iudaico.

S E C T I O I V .

Cum hac de re multa dici queant; breuitatis tamē studio omnia ad duo vel tria cōtraham quæ perstringam obiter. Triplici igitur titulo præstabilior habendus est Jubileus noster Iudaico; nimirum. 1. Ratione dignitatis quæ multò sane maior apparet in nostro vel ex ipso v̄su ac fine: siquidem Jubileus noster non, vt vetus ille, ad meros ritus ciuiles & politicos aut ad rerum temporalium ac terrenarum lucra institutus fuit; sed ad pietatis & religionis, ad charitatis poenitentiae maximarumque virtutum functiones rite exercendas indeque reportandum ingentem cumulum bonorum spiritualium & Ecclesiasticarum gratiarū, resignatis in eam rem Ecclesiæ thesauris prout omnes summi Pontifices in suis Jubileorum indictionibus protestantur maxime vero Clem. VIII. Cuius verba cum in nostram rem manopere faciant non pigebit hic apponere: sic ergo ille postquam appetentis Jubilei prærogatiwas exposuit tandem inserti; vt non jam ex veteris legis quæ umbram tantum habeat

, faturorum bonorū, neque ex Hebræorum con-
 , suetudine quibus omnia cōtingebant in figura,
 , aut serui humanæ seruitutis iugo constricti
 , liberi euadāt aut in carcerebus vinceti dimittan-
 , tur aut gravi ære alieno oppressi liberentur,
 , quin etiam ad paternorum bonorum possessio-
 , nem redeant; terrena enim hæc sunt fluxa &
 , caduca: sed fructus anni sancti & spiritualis
 , nostri Iubilei illi sunt uberrimi quod animæ
 , Christi sanguine redemptæ ē iugo ferreo dia-
 , bolicæ tyrannidis atque ex tetro carcere &
 , vinculis peccatorum diuina sacramentorum
 , efficacia absoluuntur & dimissis debitibus (forte
 , delictis) ac poenis in adoptionem filiorum
 , Dei & ad cœlestis regni hæreditatem & Para-
 , disi possessionem admittuntur & alia quam
 , plurima Dei beneficia accipiunt: ita Clem.
 VIII. quæ vel sola hic sufficiant.

Alter titulus præstantiæ sumiter ex ampliori
 latitudine qua loci qua temporis; loci quidem
 quoniam cum ille Hebræorum Iubileus ad
 solos Israëlitas pertineret atque unius Palestinæ
 finibus circumscriptus esset; noster communis
 est omnium non Christianorum modo sed
 quarumlibet toto orbe dispersarum gentium
 quibus prostat; enimvero Opt. Maximusque
 Pontifex Innocent. X. in sua indictione uni-
 uersalem nominat vultque adeo omnibus indi-
 ñam non solum Christianis sed & plane om-
 nibus quos sic compellat: audite hæc omnes
 Christi sanguine redempti: intrate exultantibus
 annitis, &c. Hæc enim nemo quisquam ortho-

doxus dubitet omnium esse, cum pro omnibus mortuum esse Christum prodat Apost. 2. Cor. 5. Iubileus itaque noster vniuersalis est quia omnibus & vniuersis patet nec aliis quam Ecclesiæ hoc est orbis vniuersi terminis definitur; qua ratione Iudaico qui solius Palestinae finibus continebatur, excellit; nempe ratione loci;

Ratione vero temporis præstare etiam dicendus est quia cum vetus ille Iudaicus jam pridem desitus sit, neque duo annorum millia expleuerit; noster æternum futurus est, vel saltem quo ad Christi perseverabit Ecclesia: Adde illum veterem rerum mere caducarum ac temporalium fuisse; hunc autem immutabilium esse & æternarum quod & ad temporis rationem facit. Denique annus Hebreorum Iubileus nostro brevior fuit ut pote lunaris 354. dierum; noster vero solaris dierum 365. vnoque amplius si Bissextilis sit; atque ita illo maior undecim saltem diebus: certe annum solarem sive Heliacum maximi apud Ægyptios fieri solitum indicio est, quod teste Scaligero Dei annum antonomasticè appellandum censuerint: Accedit ad hæc omnia epimetron aliquot dierum quibus protrahi ultra solitum ex summorum pontificum liberalitate non semel contigit: quomodo usque ad octauam Epiphanyæ prorogatum ab Alexandro sexto; imo & à Bonifacio 9. ad pascha usque, scimus neque enim ita constrictus tenetur anni vnius ambitu, quin penes ipsos Pontifices sit quoties

é re Christiana esse vilam fuerit pro arbitratu
suo longius protractum ire.

*Iubileum veterem typum & figuram fuisse
huius nostri.*

SECTIO V.

Non iniuria Nauarrū demiratur Sera-
rius quod cum in Comment. quem
edidit de anno Iubileo initio, vocem
Iubileum vel, uti mauult ipse, Iobi-
leum ab Hebraico Iobel arcessere non abauat;
rem tamen ipsam inde peti minime ferat: ve-
rum si nihil sibi aliud velit; nisi à lege ae ritu
Iubilei veteris Mosaici nostrum non esse peten-
dum aut tralatitium excerptumque inde haben-
dum, nihil mirari attinet & nos supra idem
indicauimus: aliud est quod mirari subit, quid
nempe sit quamobrem notabili 4. Cardina-
lem S. Sixti tantum non irrideat quod dixerit
Annū quē nunc Christiani appellamus
Iubileum fuisse per illum Hebræorum antiqui-
tus præfiguratum quod ipse toto notab. illo
pluribus impugnat; quanquam fateri ad extre-
mum cogitur Iubileum hunc nostrum in
multis similem esse illi & analogon quod
etiam parallelismo vtriusque comprobat: equi-
dem non video quid tandem sit incommodi
dicere Iubileum veterem typum quendam &

figuram habendum esse huius nostri; maxime cum, ut ipse met fatetur Nauarrus; Clement. P P. V I. non desit aurhoritas qui in extrau. qua Iubileum ex centenario Bonifacij VIII. quinquagenarium statuit, nulla fere alia ratione nititur, nisi quod annus qninquagesimus in lege Mosaica, quam non venit Dominus soluere sed adimplere, Iubileus censemebatur; quæ vel vna authoritas cum longe sit maxima atque adeo suprema, instar esse possit omnium: sed non vna est; plerique omnes alij Pontifices in suis Iubileorum Bullis idem insinuat in quibus nihil solennius quam vt ad ritum veteris Iubilei fiat allusio; referre hic omnia infiniti sit operis, cui breuitatis studio supersedebimus; præsertim cum hoc ipsum solenni testificatione obligatū habeamus in ea oratione quam summus Pōtifex recitat prius quam se det ad ingrediendum portam Sanctam: cuius hoc est initium: Dcus qui per Moysen annum Iubilei & remissionis instituisti, concede propitijs Iubilei annum hunc tua authoritate institutum, &c. quibus verbis sufficienter assertum habetur quod hic vertitur.

Verum vt ratione etiam agamus, nemo est qui dubitet pleraque omnia Iudæorum mysteria & ceremonias, rerum nostrarum figuras atque umbras extitisse: omnia, inquit Apostolus 1. Cor. 10. in figuris (typicos) contingebant illis: nam vt Gabriel Vasques arguit obseruat, in 1. part. q. 1. a. 10. disp. 14. cap. 6. figura hoc loco non tam mysticum aliquid sonat

quam exemplum ac typum. Coloff. 2. de Neomenijs, & Sabbathis alijsque id genus legis antiquæ Ceremonijs agens, vocat vmboram futuræ : hoc est, vt aliqui interpretantur, adumbrationem seu delineationem ac si ritus illi linea-
menta quædam fuerint ductusque Rudes, &
imperfecti nostrorum ; Puta circuncisio baptis-
mi; sabbatha & neomeniæ, dierum festorum; ac
demum anni Iubilci & sabbatharij, Iubileo-
rum de quibns, vt alios taceam & sectionem
hanc absoluam, luculentum extat testimonium
apud Cyrill. Franchum Bononiens tractatu
, de anno Iubil. cap. 7. in hæc verba : Iubileus
, igitur ille cum istius sit adumbratio summa
, Religione est celebrandus : ea enim quæ
, Hæbrais in figura contingebant, nobis ma-
, jori pietate recipienda fuerunt, & quæ illis
, corporalibus numeris sunt præcepta, nobis
, spiritualiter sunt contemplanda : non enim
, sunt reiecta quæ Deus decreuit in veteri lege;
, sed cum imperfecta essent (nihil enim ad per-
, fectum adduxit lex Hebr. 7.) ad summam
, illa perduxit perfectionem Christus Saluator
, noster cum dixerit non veni soluere legem sed
, adimplere : Iubileum igitur illum antiquatum
, non celebramus; sed illum literalem corporeum
, permutamus in mysticum & Spiritualem. Hac
tenus ille ; quicunque & nos sectionem hanc
claudimus vt quod proxime nunc sequitur, qua
demum ratione Iubileus hic noster antiquo illi
successerit, aperiamus.

Iubileus noster ad instar veteris Mosaici institutus in eius locum successit.

SECTIO VI.

Hoc minus placere aliquibus non sum nescius; qui non satis probant quod hic à me proponitur de Iubilei vtriusque inter se analogia, & comparatione, quibus haud allubescit quicquam in Ecclesia admittere quod veterem oleat synagogam, qui porro dixerunt unā cum iis de quibus Psalm. 82. non memoretur nomen Israel ultra; id tamen à me adstruitur non temerè aut perperam sed magnis sanè authoribus. Clemens 6. quinquagenarij author disertè ait se in eius institutione ad Iubileum veterem Mosaicum imprimis respectum habuisse: huic succinunt Paulus 2. ex Alberico à Rosate apud Franch. & alij. Inde est quamobrem plenique concinnandis vtriusque parallelismis operam ponere pretium operæ duxerint, cum Pontifices tūm alij quotquot de hoc argumento scripsere. Virbanus 8. videtur quasi ex professo id exequi in hunc modum: postquam ex gaudio & plausu quo Hebræorum Iubileus excipi consueuerat; quid in nostris fieri conueniat, intulit; ita porro insequiter: laboriosa eo tempore agriculturæ opera intermittebantur; nunc proprio quisque parcens labori, fructus quos Christi Domini, Deiparæ Virginis ac Sanctorum merita

, protulerunt vberimas percipit : distracta tunc
, prædia alienique iuris effecta recuperabantur;
, nunc virtutes , dona & merita quibus peccan-
, do meritò exuimus , liberali Dei misericordia
, recipimus : Exules tunc patriam repetebant
, nunc ad cœlum vnde exulantes in hac lachry-
, marum valle miserè pererramus , iter nobis
præmonstratur & aperitur.

Exemplo Romanorum Pontificum ducti
opinor alij Scriptores suam quoque in eam
rem conferre symbolam certatim ambiunt:
mirum est quam in hac catatyposi adornanda
sibi omnes complaceant : certe quotquot vide-
re contigit (paucos enim nancisci datum est)
nihil videntur potius habere quàm vt Iubilei
vtriusque parallelismum exhibeant. Iulius
Laborius cap. i. ille sonitu Buccinæ pronuntia-
batur, hic Apostolica voce , in illo cessabat
, laborandi, in hoc cessat labor terram corporis
, pænitentiis & austерitatibus exercendi : in illo
, debita remittebantur temporalia , in hoc spiri-
, tualia ; in illo recuperabantur possessiones ter-
, renæ , in hoc virtutes & merita per peccatum
, mortificata ; in illo exules in Patriam reuoca-
, bantur , in hoc exules Paradisi gementes &
, flētes in hac lachrymarum valle, patriæ celesti
reddimur. Cyrill. Franch. à cap. 20. ad 25.
multus est in comparatione hac pertractanda.
Georg. Polacch. aliquot sectionib. à i. ad 20.
vsque insistens Bullæ Urbani 8. quin & Nauar-
rus ipse veritatis vi adactus in eodem ipso no-
tabili supra allegato in quo omni ope inititur

demonstrare Iubileum veterem Hebræorum
 minimè huius nostri figuram habendum esse: ad
 extreum fateri cogitur non modicam inter
 eos existere similitudinem: fateor inquit, hunc
 , nostrum in multis similem esse illi; ut enim
 , ille Buccina, sic iste voce Apostolica pronun-
 titatur; in illo labor colendi terram omitteba-
 tur, in hoc labor proprius excusatur per labo-
 rem & merita Christi & aliorum Sanctorum;
 in illo debita temporalia, in hoc spiritualia
 , condonantur; in illo libertas temporalis; in
 , hoc spiritualis restituitur, in illo possessiones
 , terrenæ ab alienatæ recuperabantur, in hoc
 , virtutes & merita per peccatum perdita; in
 , illo denique exules in patriam redibant, per
 , hunc exules à coelo quæ patria nostra est & in
 , hac lachrymarum valle perterrantes habiles
 sumus quo ad eandem reducamur. Hactenus
 ille; & nos pariter de utriusque Iubilei analogia,
 ex qua vel una suspicari fas sit in huius institu-
 tione ad illius speciem atque imaginem haud
 dubie respectum fuisse, ac demum (quod fert
 sectionis inscriptio) in eius locum videri
 quodammodo succedere; quod quatenus à me
 dicatur, velim prudens lector animaduertat.

Neque enim sic dictū volo ut intelligatur de
 propria, & perfecta successione qua successor
 ius omne a decessore accipit & tralatitium ha-
 bet; vnde in iure dicitur successor gaudere
 debet iure prædecessoris, glossa per except. in
 leg. tale pactum, s. si de pactis: &, successor
 debet uti eodem iure quo prædecessor, l. pōpon.

13. §. 1. Absit autem ut hoc sentire libeat de Iubileis: neque enim fas est credere eadem esse iura veterum ac nostrorum, quanto hi illis præstabiliores sunt jam demonstrauimus. Quare cum dicimus nunc in eorum locum succedere, id de analoga & impropria successione par est intelligi, qua non solum hi veteres illos tempore consequuntur & posteriores sunt; quomodo in iure sequentia dicuntur succedere præcedentib, sed qua hi illos veteres ceu figuram ac typum quendam respiciunt iisque maiori cum dignitate & prærogatiua substituuntur, haud paulo secus ac nocti dies, vel hyemi, sudum nubilo pluuioue, ephebia, aut matura ætas, pueritiae: vel potius Ecclesia synagogæ, lex Evangelica Mosaicæ & ritus omnes Christiani Iudaicis.

Iubileus noster non cœpit à Christo aut ab exorsu Ecclesiae Christi.

SECTIO VII.

Glossa Extrau. Bonifac. antiquorum, Iubileum ait in aduentu Christi sumpsisse initiam; ad hoc enim, inquit, Christus venit ut remissionem & indulgentiam prædicaret spiritualium debitorum videlicet peccatorum atque in eam rem illud, Isaïæ 61. refert, Spiritus Domini super me

, eo quod vnxerit Dominus me , ad annuntian-
, dum mansuetis misit me , vt mederer contritis
, corde & prædicarem captiuis indulgentiam,
, & clausis apertione m , vt prædicarem annum
, placabilem Domino : qnod Christus sibi
ipse vendicat Luc. 4. vbi dum in synagoga
librum attipuisset prælegendum , locum hunc
fortè nactus, de se ipso dictum publicè obtestata-
tus est, Epilogismo hoc anagogico ; quia hodie
impleta est hæc scriptura. Vnde & glossa ad
extremum infert : à Nativitate igitur Domini
nostrí Iesu Christi in qua verus Iubileus incœ-
pit, quilibet sequens annus quinquagesimus
vocari potest rectissimè Iubileus. Atque inde
opinor deprompsere alij quibus idem visum:
Franch. in primis jam laudatus qui ita auspicatur
cap. 7. sui trac. de annos Iub. A Iesu Christo
, Saluat. nostro Iubileum Christianum origi-
, nem habuisse nulli dubium esse debet cum
, certiores simus ab eius pietatis vberrimo fonte
, omnium nostrorum iniquitatum remissionem
emanasse : à tūm subdit testimonium Christi
ipsius interpretantis Luc. 4. illud Isaiæ 61. à
glossa jam relatum : denique concludit cum
eadem anno quo quis 50. à Christo , Iubileum
esse numerandum quanquam in eo dissentit
quod velit non à Christi ortu, sed ab eius mor-
te Iubileorum ordinem ecce inchoandum ex
S. Ambr. vt ait : vel de suo , ex tempore
quo Christus Pontificatum Petro tradidit ut
quem iudicaret soluendum solueret , & quem
ligandum ligaret ; hinc vis Iubilei inquit po-

tentissima emergit ut pote à vi summæ , in Ecclesia iurisdictionis Pontificiæ , eidem Petro concessæ : subscribunt Glossæ Nauarrus , & Thomas Zerola , de Christi nativitate ; non antem de anno 50. quem non nisi 100. ex Ioann. Friburgensi perhibet : Certè ex Bonifaciana extraugante Antiquorum testatum omnino relinquitur antiquitus ita creditum receptumque , anno quovis 100. ad Basilicam Principis Apostolorum accedentibus concessas fuisse magnas remissiones & Indulgentias peccatorum.

Verum pace tantarum authoritatum , fas sit nobis veritatem exquirere cuius studio ducimur omnes ; neque enim vulgi opinionib. aut sensib. nos traduci par est : absit sané quidem ut Iubileorum antiquitatem eleuare libeat ; quia tamen sunt qui studio capti præpostero defendendæ antiquitatis non veræ , ipsam veritatem qua nihil est antiquius oppugnant , non queo quin me illis pro huius defensione opponam . Age dum ergo veritatem hanc , curiosius paulo exploremus . Ac primum ut vagandi errandie facultas tollatur , obseruandum est quæstionem hic facti esse , potius quam iuris , hoc est non agi hic nisi de initio , & inceptione temporis , siue , ut loquuntur Chronologi , de epocha aut æra ; non autem de principio & causa Iubileorum ; nempe quoniam tempore cœpti sunt celebrari aut institui , non vero vnde originem trahant . siue vndenam oriatur potestas in Ecclesia Iubileos instituendi : nam si de hoc

agitur, fatemur à Christo tanquam à supremo cap. ortum ducere, & ab illo ad summos Pontifices deriuari: quodsi aliud nolint cum glossa laudati scriptores, facile acquiescimus & subscribimus; at si à Christi tempore institutionem atque etiam obseruationem repetendam censeant, siue quod eodem recidit, ab initio Ecclesiæ id porro negamus nec iis assentiri possumus. Et vero ut nostrum sibi assensum impetrent, prius est ut secum ipsi cōsentiant: quo enim iure boni non consulunt nos ab ipsis dissentire cum inter ipsos haud dum satis cōueniat: aliis quidem à Christi ortu, aliis ab eius morte, aliis etiam aliunde, ut vidimus, initium Iubilei repetentibus nec non & aliquibus per quinquagenos, aliisque per centenos duntaxat annos deducentibus: quod vel argumento esse queat nihil certi eos aut explorati habere quo nitantur.

At Antiquorum habet fida relatio quod, accedentibus ad honorabilem Basilicam Principis Apostolorum, &c. audio, oraculum est, & Pontifícia Sanctio cui nefas temerè refragari: Ita est planè, nec fas, nec libet: sed quorūnam Antiquorum est ea relatio? scilicet, Iacobo Card. S. Georgij interprete, hominum prouectæ ætatis, puta centeniorum eoque prouectiorum qui meminissent quid initio superioris sæculi acciderat: inter quos inuentus est unus qui recordabatur Patrem suum superiore centesimo venisse Romam ad consequendum Indulgentias, à quo etiam admonitus

fuerat ut si fortè contingaret ad proximè sequentis centesimi tempus superstitem fieri , ne grauaretur Romam reuerti. Inde arguunt quolibet centesimo Iubileum Romæ agi solitum: Certè accedentib. ad honorabilem Basilicam Principis Apostolorum per id tempus concessas esse remissiones magnas & Indulgencias peccatorum , fidem facit suprema Pontificis maximi & irrefragabilis authoritas : Esto id sanè ; At nego inde continuo sequi fuisse annū hunc Iubileum qualem initio operis descripsimus : nempe annum Pontifica authoritate & decreto institutum , & solitum publicè indici: De hoc enim neque Antiquorum vlla est relatio seu fando seu scripto ; neque veri aliqua similitudo. Etenim à quonam Pontifice id factum vel fieri potuisse credi par est : à Christo ita ne vero ? Christum scimus , diximusque jam ritus omnes Mosaicæ legis consummasse atque in melius commutasse. Fatemur itaque quidquid boni commodiue temporarij annus ille Iubileus , Iudeorum genti afferebat id totum ab eo mystice hominum generi vniuerso representatum quod ita effectum constat non vaius aut aliquot annorum institutione , sed institutione legis Evangelicæ quam in ævum & in sempiternum tempus duraturam nemo nescit. De primis Pontificib. usque ad Constantini tempora idem credere attinet : qui enim in tantis rerum difficultatib. atque angustiis fieri potuit ut publicè & solemniter Romæ in oculis Imperatorum Iubileus celebraretur sub

acie gladij, vt dicitur, in summo vitæ & salutis
discrimine: an tum Romanū euocare Christianos
ad vniuersalem Iubileum fuisse aliud
quam eos ad certas cruces necesse, ad communem
lanienam protrudere? nimirum longe
alia mens aliudve consilium fuit sapientissimo-
rum Pontificum quocumque tandem animo
fuerint erga Iubileorum sanctorum ritus; malue-
runt tamen tempori seruire, & Christianorum
consulere commodis quam per occasionem
Iubilei Christianos temerè tormentorum mor-
tisque periculo obiectum ire. Igitur usque ad
Constantinum per 3. coquem amplius sœcula nul-
los fuisse Iubileos, libenter facio ut credam;
quid postmodò factum sit proxima sectione
explanabitur.

*Quandonam institui & celebrari cœperint
Iubilei in Ecclesia?*

S E C T I O V I I I .

IOANN. Friburg. tract. de Indulgentiis quæ-
stione 6. ait à se nihil certi potuisse inueniri
de initio anni huius sub lege noua. IACOB.
Card. Sancti Georg. congruenter decretali
Bonif. antiquorum perhibet ante Bonif. quouis
sœculo in eunte solitas adiri & frequentari san-
ctorum Apostolorum Basilicas Romæ non ab
indigenis modo sed à confluētibus ē toto

orbe Christiano peregrinis eò affectis pietate & studio consequendi Indulgentias. Inde, opinor, Spondanus **tomo 1. contin.** sub anno Christi 1300. opinatur longe antiquiorem habendam esse huius centenariæ, ut loquitur, Indulgentiæ obseruationem, tantumque eam Bonif. renouasse & edicto sanxisse. Eodem allusisse reor Sanctissimum Pontificem Innocentium dum in sua indictione Bonifacium Iubilei seu institutorem seu instauratorem nuncupat; quamquam nihil certi definire visum: utinam & aliis eadem mens eademque cautela insedisset, non tam facilè & tam certo de re parum certa pronuntiassem: at Sabini quod volūt somniant, & quod grauius est sua sèpè somnia pro oraculis venditant. In iis Gyrill. Franch. omni ope conatur astriuere antiquitatem Iubilei, eo que à Bonif. 3. ann. Domini 635. quibusdam militib. Ierotolymitanis Indulgentias ait esse concessas nec non & à D. Gregor. M. longè plurimas variis occasionibus; ab Honor. item 4. Templariorum Ecclesiis: qui quidem omnes Bonif. 8. antiquiores fuerè: quasivero inde consequens sit Iubileos itidem eo antiquiores habendos esse. Gregor. Tolos. Syntagm. 1. 2. cap. 9. ait jam ante Bonifacium à Gregorio magno concessum 100. quoque anno Iubileum & plenam remissionem delictorum visitantibus Basilicas SS. Petri & Pauli.

Sed omnium acerrime Nauarrus notabili 7. cōtra Polydorum pro Iubilei antiquitate dimicat; cui Polacchus & Benzonius succentariati

accedunt; hic quidem lib. 3. cap. 5. ille scđt. 8.
cuius verba, quoniam alterius mihi copia non
fuit, recitare hic sufficiet: sic ergo Polacchus
,citata scđt. n. 8. Notandum est ommib. retro
,sæculis solemnē Pontificibus Romanis fuisse
,natalitios Salvatoris dies anno sæculi recurren-
,te solennius celebrare ut notat Bzoniūs annal.
,tom. 14. anno 1300. Certum est enim quod
,hæc centenaria remissio quæ conceditur Ro-
,mæ venientibus & visitantib. honorabiles Ba-
,silicas Principum Apostolorum, erat concessa
,& vsa recepta ac frequentata ante tempora
,Bonif. 8. nec ipse fuit institutor aut author
,huius anni Iub. sed renouator & confirmator.
,quocirca afferendum quoque est errasse Poly-
,dorum Virg. & Nauagerium nonnullosque
,alios afferentes ante Bonif. Iubileum non fuisse:
,Id multis probat Benzon. verbis etiam ipsius
,Bonifacij: scribit enim; antiquorum fida habet
,relatio quod accedentes ad venerabilem Bas-
,ilicam Principis Apostolorum magnæ sunt
,concessæ remissiones & Indulgenciarum peccato-
,rum; legatur, inquit, Benzon. ac tūm subdit
,n. 9. causam quamobrem Bonif. Iubileum pri-
,mus indixerit: nempè quod circa finem millesi-
,mi trecentesimi centenarij (sic quippe loqui-
,tur, vt videtur perperam) à redemptione mun-
,di in vigilia Nat. Christi ann. 1299. tempore
,vesperarum Ecclesiæ Petri repleta sit Peregrini-
,stantib. extraneis in multitudine maxima, inter
,quos communis fama erat olim eodem tempo-
,te & anno eodem magnas Indulgencias con-

, cessas fuisse illis qui eam Ecclesiam visitarent,
& præsentes essent in apertione vnius portæ:
quod vbi ad Papam Bonifacium fuit relatum,
initio is obstupuit, deinde mandauit vt inqui-
serentur vetusta regis tra actorum Ecclesiæ &
reuiderentut diligenter Bullæ Paparum suo-
rum p̄tædecessorum sed nil reperiri potuit vn-
de origo huius deuotionis probari posset nec
magis de ea cognitum erat quam olim in Græ-
cia ante Theseum in octogesima olympiade
aut sub regno Darij: Ita ille qui tandem ad
traditionem & cabalam confugit; atque haec
nus pro Antiquitate Iubilei satis; haec namque
mihi visa sunt ex omnibus quæ in eam rem affe-
runtur potissima quibus examinandis nunc por-
to operæ non nihil dare conuenit, vt probabi-
litoribus selectis, quæ minus verisimilia sunt
aut aperte falsa, abdicemus.

Primum igitur ad authoritatem quod attinet,
omnium facile maxima est illa Bonifacij nec
non & eius interpretum Ioann. Monachi &
Iacobi S. Georg. Cardinalium qui quidem
referunt tempore Bonif. iam vulgo receptum
fuisse, solitas Roinæ singulo centesimo anno
sue singulo ineunte sæculo tribui Indulgencias
inuisentib. Basiliæ cam sancti Petri: qua autho-
ritate freti Spondanus. Nauarr. & alij ar-
guunt Iubileos præcessisse Bonif. octauo tem-
pora. Verum quam inconsequenter & perpe-
ram videbitur postea; nunc etenim sola ex-
penditur authoritas. Ergo Bonifac. vnaquæ
Cardinales duo (vt in ore duorum vel trium

stet omne verbum) perhibent Antiquorum fida relatione haberi quod accedentib. ad honorabilem Basilicam Principis Apostolorum de vrbe, concessæ sunt magnæ remissiones & Indulgentiæ peccatorum singulo ineunte centenario siue sæculo: testimonium sane amplissimum & religiosissimum: at ex auditu & fama aut rumore potius, ex fida scilicet relatione Antiquorum nempe relatum est ad summum Pontificem seniores aliquot repertos qui diccerent se à parentib. accepisse superiori proximo sæculo ineunte Romam aduolasse magnam vndique turbam peregrinorum quod vulgo crederetur propositas esse inibi extraordinarias quasdam Indulgentias inuisentibus Beati Petri Basilicam, quid ad hæc summus Pontifex? obstupuit ex Polaccho, & Benz. deinde mandauit ut inquirerentur vetusta regista actorum Ecclesiæ, & reuideretur diligenter Bullæ Paparum: sed nihil reperiri potuit vnde onus huius deuotionis probari posset nec magis de ea cognitum erat quam olim in Græcia antè Thescum: en ingenuam prorsus confessionem quam expressit veritas! vnde liquet Iubilei Antiquitatem illam non nisi rumore vulgi aut certè paucorum niti, nihil scripti, nedum vero monumentum aliquod authenticum extare in archiui seu chartophylaciis Ecclesiæ nec aliud demum haberi quam tradituæ aut cabalæ fidem aut etiam vetulorum aliquot siue anicularum testimonium! hemergo vim summam authoritatis.

Iam ad rem ipsam rationesque & argumenta quib. ea nititur, veniamus , ante Bonif. octauum moris fuit singulo ineunte saeculo Romam vndique conuenire ad lucrandum Indulgentias & remissiones maximas visitantib. S. Petri Basilicam propositas : ergo ante Bonifac. octauum extitisse Iubileum siue annum sanctum constat ! hoc argumento ducti scriptores optimi Antiquitatem Iubilei asserunt ; at mea equidem sententia haud satis firmiter & consequenter, cum consequentiam hanc minimè necessariam esse promptum sit ostendere : Esto enim Antec. totum , pro ut volunt ; fuerint videlicet eiusmodi remissiones & Indulgentiae Romipetis singulo ineunte saeculo concessæ ; nunquid continuo hinc sequitur Iubileorum (pro ut nunc se se habent & à nobis initio descripti fuere) annorumve Sanctorum institutionem jam extitisse ? quasi vero quotiescumque contingit Indulgentias Romæ haberí etiam per modum Iubilei, vt vocant, necesse sit annum tunc Sanctum siue Iubileum existere : quis nescit Stationes Romæ habitas non temporibus solum sancti Gregor. vt vult Polydorus & multis astruit , l. 8. sed multo antea vti constat est iis quæ passim in iure Canonico ferontur & videtur est apud Onofrium in libello de Vrbis Stationib. in quib. quidem multa fuere Iubileorum ritib. atque instituto persimilia, prout perspicere est apud eundem Polydorum : tamen haud quaisquam dixerit stationes huiusmodi pro Iubileis annisue sanctis

habendas cum vel quantum inter hæc duo intersit, liquido satis appareat. Nihilo minor quin & aliquanto maior est differentia Iubileorum eorundem cum centenariis quæ Bonifacium præcessere, Indulgentiis: nam ut cætera inter se haberent paria, vnum est maximè quod apud me valet plurimum; videlicet quod cum Indulgentia eiusmodi centenaria non fuerit nisi vel diei unius, vel dierum certè aliquot quibus saeculo dabatur initium, Iubileus noster totum usqueaque annum occupat nec paucis diebus contentus est ut annus inde Sanctus dici iure queat.

Quare ut nunc tandem totum id concludam cum neque auctoritate satis conflet de annis huiuscem. Iubilis fuerintq; omnius ante Bonifacium obseruati, & ratio in contrarium stare videatur; non libenter facio ut iis assentiar & subscribam qui de eo assuerantur affirmateque pronuntiant quamquam eos quib; rem in medio relinqui placet quod minus liquere dum putent, minus equidem improba-biles iudico: At vero si ut in Solonis republ. hic quoque fas non est neutrum agere, sed alterutri partiam nomen dare necesse fuerit, non diffiteor me libentias iis accedere qui Bonifacium anni huius Iubilei authorem institutoremque faciunt, prisco tamen usu exemploque ad id excitum; quorum enimvero siue numerum siue pondus species non exigua vis est; siquidem præter sanctum Antonin. parte prima titulo 3. cap. 3. alijsque apud eum; è modernis accuratis;

quiique & veritatis amantissimi præsto sunt, puta Card. Tolet. l. 6. c. 24. Sanctarellus Variar. Resol. q. 73. Cornel à Lap. in c. 25. Leuit. Victorell. jam cit. Nauager. Chronographi omnes Genebr. Gauter. Gordon. qui-que de rebus Romanorum Pontificum scripse-re Platina Onufr. Ciaccon. Burchard. & alij; missum vt faciam Polydor. qui lib. 8. c. 1. id diserte, asseueranterque docet; sed præ om-
nibus ac pro Colophone habendum quod summorum omnium Pontificum ea sit senten-
tia quatenus in suis Indictionibus Iubileorum
institutionem à Bonifacio semper repetunt
eique vni attribuunt; vt videre est in singulis
eorum constitutionibus, ab illa Clem. VI.
Vnigenit. ad ultimam vsque S. D. N. Innoc.
in qua vt minime id decidi placuerit; in rem
tamen præsentem ius suum Bonifacio assertum
manet.

*De Iubileorum processu deque variis eorum
institutionibus.*

CAPUT III.

IAM vidimus ptimum Iubilei authorem
institutorumque habendum esse Bonifa-
cium octauum qui sub annum Chri-
sti 1300. ex occasione ineuntis sæculi, id
consilij sumpfit vt 100. quemque annum

Iubileo sacrum ediceret, vti appareat ex eius diplomate in eam rem edito in quo tamen Iubilei appellatione omni abstinuit; qua deinde Clemens sextus quinquagesimo post anno vti cœpit, pro vt constat ex ipsius extrau. quæ incipit vnigenitus & habetur inter extrau. communes. Hic ergo primus omnium Iubilei nomen intulit & centenarium Bonifacij ad quinquagenarium reduxit rationibus non pœnitendis ad id motus, quas præcedenti capite exposui, multoque plurib. parte, 2. cap. 3. expendam si Deus dederit.

Id autem tenuit donec sub annum 1380. visum est Urbano VI. opportunum reducere ad annos 33. in gratiam illius temporis quo Christus vitam mortalem egit quod vulgo triginta trib. ann. circunscribitur. Sunt qui hoc tribuant Greg. XI. Urbani huius prædecessori, cuius quidem ea de re constitutionem nullibi reperire est, mentionem tamen illius extare in Bulla Alexandri sexti testatur Franch. iimo & in Bulla quadam Clementis septimi testes sunt alij: Mirum est quam hic se Franch. torqueat dum non videt quandonam fieri id potuerit; sed post multa vltro citroque satis vt videtur anxie & confusè iactata, tandem concludit vt forte huic Pontifici animus fuerit id constituendi; morte tamen præuentum constitutionem non fecisse nedumvero Iubileum celebrasse. Huic coniecturę auscultat Spondan, cum sub anno Christi 1389. post enarratam reductionem hanc Urbani, subdit: qui scripsérunt Greg. XI.

, authorem fuisse huius reductionis , vel ita intelligendi sunt vt habuerit ipse in animo id , præstare in gratiam Romanorum , sed morte , præuentum non potuisse quod postea Vrbanus , adimpleuit , vel id dixerunt ex eo , &c. alteram quoque subiicit quam (vt verum ingenue fatear) haud satis equidem capio : viderint quib. vacat; nostrum solummodo hic est videre utri horum Pontificum reductio hæc competit qua in re certum est longè plurimos fauere Urbano eosque omnium præcipuos.


In Bulla Pauli secundi quæ in Bullario est ipsius septima, & in illa Bonifac. 9. in Bullario prima, tribuitur Urbano: aspiciuntur scriptores illius temporis complures Niem. Gobelin. &c. accedunt moderni omnes; de Spond. iam vidi- mus Victorellum, Iul. Lauor. Georg. Polacch. Rutil. Benson. Ioan. Bapt. Paulian. Sanctarell. aliosque adire licet. Onufrius in Chron. de Rom. Pontif. scribit ex constitutione Pauli 2. Martinum 5. reductionem hanc ratam ha- buisse, & ad effectum deduci anno 1423. permi- ssibile: verum hoc minus certum est, vt ipse met- fatetur Spond. qui refert. Sunt qui reduc- tionem hanc nunquam ad proxim redactam & obseruatam fuisse scribant. Ut sit cumque Urbani esse receptius habetur: quare misso hinc Greg. X I. supposititio maneat Urbano ius suum quod parum tenuit cum initio proxime sequentis saeculi sub Bonifac. 9. celebratum Romæ Jubileum constet ex usu & more veteri: Imo ex Ciaccon. & Bzou. anno post 25. sub

Martino 5. quamquam vt reor, perperā, Spondano vindice, siquidem nondum ad ann. 25. reducēti erant Iubilei, quod postea factum visuri sumus postmodo.

At de anno eiusd. saeculi 50. certum est celebratum fuisse Iubileum sub Nicol. 5. ex institutione Clementina. Vnde admodum moueor ut credam (quod aliquib. visum antea innui) ægrè aliquando Urbani institutionem potuisse obseruari. Ut demus tamen obseruatam; cum absque præiudicio Clementini quinquagenarij id factum vidimus, tum non diu sane post: nempe an. eiusd. saeculi septuagesimo Paul. 2. Iubilei periodum contraxit rededitque ad 25. an. causatus vitæ breuitatem: quod & subinde Sixtus 4. ratum habuit vti constat ex eius extrau. quæ extat in iure inter communes lib. 5. de pœnit. & remiss. cap. 4. quod Platinæ, Onufrio & alijs causa fuit cur reductionem hanc ei adscriperint: sed Paulo tribuendam esse docent, non solum eiusdem de ea constitutio quæ extat in Bullario, ipsius sept. & ipsa Sixti verba quib. in sua extrau. id expressè testatur, quæ sic habent: olim siquidem fœlicis record. Paul. Papa 2. prædecessor noster rationabilibus causis tunc expressis inductus, de venerabili Fratrū nostrorū, tunc suorum de quorum numero tunc eramus, consilio, an. Iubileum ad breuius tempus prouida moderatione reducens, illum ad an. 25. Apostolica autoritate restrinxit ac voluit statuit & decreuit ex causis prædictis quod singulis 25. an. Iubileus

annus prædictus celebrari deberet : quodque
 an. D. 1474. proxime futuro videlicet à vigilia
 Nat. Domini nostri Iesu Christi idem an. Iub.
 inciperet, & vt sequitur finiretur : ac vniuersi &
 singuli utriusque sexus fideles qui BB. Aposto-
 lorum Petri & Pauli Basilicas , Lateranensis
 quoque & Sanctæ Mariæ M. aliaꝝ urbis Eccle-
 sias statutis dieb. deuotè visitarent , omnes &
 singulas indulgentias, & peccatorum remissio-
 nes consequerentur; quas idem Pontifex suique
 prædecessor. anno Iubil. huiusmodi Basilicas &
 Ecclesiæ prædictas visitantibus deuotè conce-
 serant; per quasdā primū & deinde nos (quidicto
 prædecessore sicut Domino placuit sublatō de
 medio fuimus diuina disponente clementia ad
 apicem summi Apostolatus assumpti) per alias
 nostras litteras eiusdem Pauli prædecessoris or-
 dinationem voluntatē & statutum ac omnia &
 singula in eisdem suis literis contenta de Fratrū
 eorumdem consilio approbantes , similiter sta-
 tuimus , &c. Quæ cum ita sint miror aliquem
 existere cui venire possit in mentem de Paulina
 hac reductione vel solum dubitare , ne dum in-
 ficias ire. Evidem fateor suam hanc reductio-
 nem Paulum minime in usum protulisse puta
 morte præuentum ; idque à Sixto effectum an.
 deinde 75. iam præscripto. Vnde ad nostra us-
 que tempora usus hic obtinet nec facilè hinc
 motum iri fides est. Quamquam Th. Zerola in
 praxi Episc. testatur se à Prælatis fide dignis
 audiuisse cum referrent Gregorium 13. qui cele-
 brauit Iubileum anno 1575. dixisse non semel,

sibi in animo esse Iubilei tempus reducere ad 15.
annos. Cæterum Historiam Iubileorum omniū
Victorell. edidit à Bonifac. ad celebratum ini-
tio huius saeculi sub Clemente 8. nempe Cle-
mentis 6. Vrban. item 6. Bonif. 9. Martini 5. Ni-
col. item 5. Sixti 4. Alex. 6. Clementis 7. Iu-
lij 3. Greg. 13. ad ultimum ipsius Clementis 8.
sub quo scripsit.

*De varijs anni huius cognomentis.*

C A P V T IV.

MVltis agnominibus & Elogijs
exornari solet hic annus cum in
Romanorum Pontificum diploma-
tis, tum alibi, quorum præcipua
sunt hæc.

1. *Annus Sacer sive Sanctus sive etiam Sanctificationis.*
2. *Annus remissionis & Indulgentiæ.*
3. *Annus reconciliationis & pacis.*
4. *Annus gaudij & exultationis.*

De quib. singulatim dicendum totidem se-
ctionib. hoc eodem ordine.

Annus Sanctus.

SECTIO PRIMA.

DE Iubileo Hebræorum fueritne annus Sacer an vulgaris & politicus; hoc est cœperit ne à mense Nisan seu à Tekupha, vt vocant, verna, vel à Tistri id est ab Autumni Tekupha, problematicum est: sunt qui inde cœptum putent, adeoque sacrum & Ecclesiasticum situant: inter quos Abulensis cui subscribunt Torniell. Henr. Haruill.&c. Ut vt sit, certè cōsecrari & sanctificari scripturæ phrasī dicitur; Leuitici 25. Sanctificabisque annum 50. & mox: quia Iubileus est & quinquagesimus annus non seretis neque metetis, sponte in agro nascentia & primitias vindemias non colligetis ob sanctificationem Iubilei: ac si diceret, Sabbathum quoddam sacrum & festuum celebrabitis, cessatio erit ab omni opere seruili rustico. Vnde Sigon.lib. 3. de Rep. Hebræorum cap. 15. Sabbatharium vocat hunc annum, non ex eo quod esset reuera Sabbathicus, sed quia remissio dabatur seruis à ministerio seruili nec non & agris ab omni cultura & opere rustico quod Sabbathismi seu requietis genus quoddam fuit. Atque hæc vna est ratio sanctificationis qua hic annus fit feriatus & festiuus; quomodo & festi dies apud nos, & Sabbathum olim apud Hebræos sanctificari dicuntur. Est & alia ratio ex diuina institutione quod videlicet

hic

annus à Deo institutus fuerit & sancitus legelata, vnde Sancti nomen Iurisperiti declinant, Vlpianus lege, 68. ad edictum : Proprie dicimus Sancta quæ neque Sacra neque prophana sunt, sed sanctione quadam confirmata; vt leges sanctæ sunt, sanctione enim quadam sunt subnixæ, quod enim sanctione quadam subnixum est id Sanctum est, et si Deo non sit consecratum. Hac ratione annus hic Sanctus audiit vt potest diuina sanctione ac lege præscriptus; vt patet ex Leuit. cap. 25. Præterea tempus illud Sanctum iure dicitur quod cultui diuino & pietatis ac sanctimoniac officiis addictum est, cuiusmodi fuisse huic annum liquet ex iis quæ eod. cap. Leuit. iniunguntur Iudeis; nempe Deum timere eiusque præcepta exequi & custodire iudicia & implere ea, aliaque id genus quæ hoc capite feruntur: vnde annum fuisse lustralem & expiatorium appetat in quo omni studio legis diuinæ præceptis obsequabantur Hebræi, vñras uitando, odia deponendo, debita remittendo, seruos manumittendo, res abalienatas in ius pristinum reuocando: in quo sacrificiis, oblationib. & orationib. maximè incumbebant, &c. Scilicet hæc oportuit facere; atenim uero facta esse, haud equidem periclitari facile ausim ut peræque affirmem. Verum nihil nostra nunc refert cum hic annus nihilominus habendus sit Sanctus quod illi quorum intererat sanctificari, officio huic quo tenebantur defuerint; satis namque fuit debuisse ita fieri: sicut & nunc paucum refert Christianos dieb. Dominicis ac fe-

Nisi minime exequi quæ horum dierum dignitas postulat, ut hi dicantur habeanturque sancti.

At demum de suo quidem Iubileo viderint Iudei, fuerit ne Sanctus: noster sanè & vero iurè quam quo optimo dicendus Sanctus non metonymicòs solum quia diuinitus per sanctissimos Pont. institutus sed & quia totus sanctimonix dicatus ac sacer, totus ad Dei cultum refertur, in piis ac religiosis operibus traducitur; beneficentia nimirum erga pauperes peregrinos, Xenodochia & hospitales domos, Christianæ charitatis & misericordiæ officiis omnibus, denique sacra peregrinatione ad Vrbem ac sedem Sanctam, ac sanctissimum Pont. ad Sacrofancią Apostolorum limina. Nimirum Romæ agitur Iubileus hic; quod non patum ad eius sanctitudinem confert; ubi namque Sanctius & Religiosus valet celebrari quam illuc ubi sedes est augustissima Religionis, ubi Asylum & propugnaculum est fidei orthodoxæ, arx supremæ authoritatis Ecclesiasticæ. Vbi Petrus Cathedram statuit quam & sanguine suo & martyrij laurea illustravit: quidquid contra obganniant sc̄tarij, quibus crux Petri crucem creat longè maximam; quod tamen ipsos prorsus iugulet, laqueus est quo nunquam se exoluenter, in Epistola ipsius Canonica priore. Cap. 5. in hæc verba: Salutat vos Ecclesia in Babylone collecta quibus, sicut ex interpretatione veterum habetur, manifestum sit Petrum hanc Epistolam ex urbe Romana dedit, & per Babylonem Romam intellexis-

se : negant Sectarij ; at dum nostri instant , à Ioan. in Apocalypsi Romanam passim vocari Babylonem , annuunt & boni consulunt : cur ita ? vtique quod si sub Babylonis nomine Petrus Romam intelligat consequens sit Roma eum fuisse ; at id non itidem sequitur ex Apocalypsis Babylone : igitur Romanam hanc faciunt , illam mirum est quam varient , ne Romanam faxint : Orthodoxi autem vnica interpretatione vtramque Romanam faciunt & quidem iure omnino veréque cum alia omnis interpretatio tralatitia sit ac spuria .

Quod si quis scire auet cur Babylonis non inne Roma tum venerit , hoc à me dictum paucis accipiat : de Talmud Iudeorum nemo est qui non inaudierit librum esse quo eorum doctrina hoc est scientia vtriusque iuris simulque multiplex rerum historia continetur : duplex fuisse docti sciunt , vnum Jeruschalmi dictum siue Ierosolymitannm quod pro Iudeis in terra Israelis viuentib . scriptum fuit : alterum Baueli siue Babylonicum quod pro dispersis in Babyloniam aut alibi gentium degentibus , fuit scriptum : vnde factum reor ut Iudei non tantum Chaldaeam atque Assyriam olim tempore captiuitatis Babylonicae , sed ex inde terram quamlibet Gentilium in qua commorari eos contingeret , Babyloniam appellarent ; & caput ac Metropolim totius gentilitatis Romanam Babylonis nomine insignerent , quâ ratione cum Petrus & Ioan. ad Iudeos de Roma scribendum haberent quod ipsorum intererat non

omnibus palam fieri, quid mirum si Babylonis nomine Synthematico usi sint? id vitilitigagatorib. fortè non probabitur, at non est edictio hæc Basilica, coniectatio est non improbabilis de qua dici placet Tullianum vel magis Euripidæum illud: qui bene coniecerit, vatem hunc perhibeto optimum.

Sed redeo inde ad Romanam Petri Cathedram mecum una trahens segregam aliquos quibus frons minus dura fuit & ferrea quam ut in eam arietare ausi sint: inter quos Grotius non semel Romæ Petrum fuisse ibique Crucis suffixū testatur: in caput 21. Ioann. hisce verbis: quin cruce Petrus & quidem Romæ obierit, dubitandum non arbitror cum tot habeamus veterum testimonia: ex ijs aliqua recitat; Tertul. Clementis Alex. &c. in appendice ex professo idem probat ubi & inter hæc ingerit. Nec quicquam firmi video quo non Babylon in Petri Epistola sicut in Apocalypsi, Roma intelligatur cum omnia quæ à Prophetis de Babylone dicta sunt, mire in Romanam qualis isto erat tempore congruant. Sic ille unus ē Sectariorum grege vir egregie doctus & solers quem multorum instar habeo. Habemus itaque Romanam Petri sede ac cæde inclytam, sacrificque eius nec non & Pauli imo & innumerabilium fermé martyrum, SS. que adeo omnigenorum Lipsanis; ut Roma iam generale quoddam dormientium in Domino Coemeterium iure habendum sit, & quædam veluti Lipsanotheca communis: Quin, quod præfiscini dictum

volo, ita hæc duo permixta inter se & confusa sunt : nempe Vrbis solum ipsaque sacro sancta Diuorum corpora ut jam tota humus Romana in quandam reliquiarum massam concreuerit nec facile sit alterutrum secernere. Quod si terra Iudea antiquitus pro Sancta est habita quod sedes fuerit SS. Patriarcharum & Prophetarum , quid de ea porrò vrbe sentiendum , in cuius sinu ipsisque adeò visceribus tot tantorumque Martyrum & Sanctorum sacra corpora requiescunt : an non iure eam vrbem , aliam , vrbem Sanctam & Sanctorum Patriam dixeris.

Quod si eam modo species non ut defunctorum sedes est ; sed & quatenus viuorum qui in ea dum residet & SS. Ecclesiæ caput circumstant ; suisque consilijs atque opera confulciunt , digna videbitur quæ Sancta appelletur , sedes Sanctissimorum Pontif. Augustissimi Senatus , Eminentissimorum Cardinalium , Sacro sanctæ Ecclesiæ Principum , Illustrissimorum Antistitum , Venerabilium Prælatorum , & Generallium Ordinum ferme omnium Religiosorum , vbi regnum illud Sacerdotale , vel ut est apud 70. Regale Sacerdotium , tot vertices Coronati , tot Purpurati Patres , tot protectores , & Patroni Regnorū : ut quod Cineæ olim visum de Roma vetere , potiori nunc iure in nostram competit : quoniam ergo potius commodiusue Iubileus quam Romam condicendus ? Causas cur Iubileum Romæ agi voluerint summi Pontif. varias perstringit Franch. cap. 15. omnium tamen præcipua est quæ à Religione pe-

titur cuius Roma caput est , & suprema veluti arx ; unde habet ut mundi caput existat.

*Facta Caput mundo quidquid non possidet armis
Religione tenet: Prosper Aquitan. lib. de ingratis.*
Et vero Clemens 6. cum sedem teneret Aucti-
nione , Constituit tamen ut Romæ Iubileus
celebraretur nepe Romana seu Apostolica se-
des transferri potest ab urbe alibique collocari;
Iubileus non item , hæc quippe prærogariua
est urbis Romæ ut non nisi in ea annus sacer
Iubileus possit celebrari ; puta ob loci Religio-
nem maximeque in D. Petri gratiâ apud quem
cæli claves videntur asseruari. Certè Romam
adiisse Sanctam Brigittam tempore Iubilei om-
nium primi in eius vita sic traditur ; illi vocem
cælitus missam suassisse vt Romam peregrinari
ne grauaretur quod Romæ facilior sit ad eælum
via : cælestis prorsus Elogium & cælo planè di-
gnum quo mirifice commendatur Romanæ pe-
regrinationis excellentia ; cui etiam consonare
videmus supremam Ecclesiæ authoritatem apud
quam receptum est tantæ Religionis haberi
Romanam peregrinationem ut si votiva sit hoc
est voto firmata , nulla possit nisi ipsius Summi
Pont. sententia conuelli aut commoueri.

Cæterum hæc ad Iubileum hunc comparan-
dum usque adeò necessaria est ut absque ea sit,
nihil fiat , quidquid alias fieri contingat : mit-
tens alium aliosue suo nomine cum donariis in-
gentibus , nihil lucratur ex Benson. dub. 21.
lib. 5. nemo quantumuis præstare studeat in
cam rem longè plurima maximaque , si desit

Romana profectio , operæ pretij quicquam
inde referet : nisi forte aliter expresse dispensa-
tum fuerit à Pontifice. At vero tanta peregrina-
tionis huius vis est ut vel inchoasse ac tentasse
eam sufficiat , ita nempe visum optimis Ponti-
ficibus è quibus extremitate duo Urbanus 8. noster-
que nunc dignissime sedem tenens Innocent. 10.
id diserte sanciunt in Bullis suarum indictio-
num in hæc ac tandem verba : & quoniam
, euenire potest ut ex ijs qui iter aggressi fuerint
, aliqui in via morbo aliae causa legitime im-
, pediti præmissa exequi nequeant , nos pie
, prompteque illorum voluntati fauere cupien-
, tes , eosdem vere poenitentes & confessos præ-
, dictæ remissionis & indulgentiæ participes,
, perinde efficere volumus ac si Basilicas urbis
, diebus prescriptis reipsâ visitassent. Ita SS.
PP. Vnde videoas quantum insit in ea profe-
ctione momenti ; cum vel pedem domo extul-
lissem & viam iniisse , pro re consecuta penitusque
consummata habeatur.

Sed est & aliud quo facile arguitur quanti ea
fieri soleat vel ab ipfisimè Pontif. nimirum quod
cum ob varias ac multiplices indulgentias quæ
alibi terrarum extra urbem passim existunt , pe-
riculum foret ne retardaretur profectio hæc ,
plerisque omnibus ita animo comparatis , ut
quæ domi penes se prompta habeant , aliunde
procul arcessitum ire contemnant. Sixt. quartus
primum ac deinde alij omnes , externas quasi-
bet indulgentias , & peccatorum remissiones
(quod de plenarijs saltem intelligunt DD.)

suspendendas duxerint suspenderintque datis, uti assolet, seorsim in eam rem literis; rati fablato in hunc modum eiusmodi impedimento quasi domestico, nihil obfuturum profectioni Romanæ cui tota hæc inseruit Iubileorum institutio, ut vel eo videri queat Rabbi Moses non incongrue Iubileum interpretari aditum siue accessum, quandoquidem absque aditu aut accessu sit, comparari nequit.

At porro quantum momenti in ea peregrinatione insit ad religionis Catholicæ decus & commodum Glossa extrauag. Antiquorum imprimis testatur dum ait ex hac peregrinatione fidem Catholicam non modicūm exaltari, eo quod ex omnibus Christianitatis finib. fideles confluunt ad ortum fidei: idque contestantur omnes ex inde Pontifices Iubileorum editores omniumque maximè Clem. VIII. parænetica oratione qua cunctos Christi fideles cohortatus, Romam ut se conferant in hæc verba, Ascendite ad locum quem elegit Dominus, ad spiritualem Sion & Ierusalem Sanctam non litera sed spiritu; unde ab exordio nascentis Ecclesiæ lex Domini & lux Euāgelica veritas in omnes gentes & nationes deriuata est: Hæc est illa felix Ciuitas cuius fides Apostoli, eo ore laudata annuciatur in uniuerso mundo: cui ipsi Beatissimi Apostolorum Principes Petrus & Paulus totam doctrinam cum sanguine profuderunt ut per sacram B. Petri, sedem caput orbis terræ effecta mater esset cunctorum credentium & magistra omnium

, Ecclesiarum; h̄ic fidei petra, h̄ic fons Sacer-
, dotalis vnitatis, h̄ic incorruptæ veritatis doctri-
, na, h̄ic claves regni Cælorum & summa li-
, gandi atque soluendi potestas; h̄ic denique
, thesaurus ille Ecclesiæ inexhaustus sacrarum
, Indulgentiarum cuius author & dispensator
, est Rom. Pont. &c. cui rite succinit Vrbani.
itidem VIII. totidem pene verbis quæ eō,
& quod in promptu sit videre, missa impræ-
sens facio, iuxta ac aliorum; quos omnes de-
prehendere est, nihil præ hoc habuisse, quod
Christianorum animis inculcatum vellent.
Quibus quidem Sanctus Iren. diu ante præ-
uerat lib. 3. cap. 3. in hæc verba: Ad hanc
, enim Ecclesiam (puta Romanam) propter
, potentiores Principalitatēm necesse est om-
, nem conuenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt
, vbiique fideles ad illam in qua semper conser-
, uata est ea quæ est ab Apostolis sumpta tradi-
tio. Igitur necesse est Romanam Peregrinari,
est & pium ac Sanctum; dummodo tamen
id ritè fiat prout fieri monent Sancti Patres
modestia, deuotione pacis paternæ obseruantia
aliisque Christianis virtutib. bonum. Christi
odorem afflando in omni loco. Hunc in mo-
dum spes est fore ut Deo piis suorum votis
fauente, cuncta rite cedant; Peregrinatio sancte
obita, prosperè fœliciterque succedat; Iubilei
fructus reportentur uberrimi, ut qui noxis gra-
ues eō se contulerint, soluti ac liberi regre-
diantur, qui solo pietatis studio ducti cum
magno virtutum apparatu eō concesserint,

auctiores cumulatiōrēsque multò redeant: verbo dixerim, vt peccatores resipiscant, penitentes Dei opem exōrent & veniam, vniuersi ac singuli meliores inde sanctioresque euadant, & qui Iustus est iustificetur adhuc, & Sanctus, sanctificetur adhuc Apoca. 22. hæc nempe, præcipua sunt quæ annum hunc Sanctum præstare valeant, annum vtique sanctificatio-
nis ut à Sancto Pontifice Innocentio in sua indictione appellatur; de quo dici merito possit quod de suo Clemens octauus ab hinc quin-
quaginta annis dictum voluit, annum vere
Sanctum, annumque Sanctum iure optimo no-
minatum existere.

Annus remissionis & Indulgentiæ.

SECTIO II.

IVbileus Hebræorum per antonomasiā aut etiam Synonymicōs dictus fuit annus remissionis Leuit. 25. sanctificabis annum, quinquagesimum & vocabis remissionem scunctis habitatoribus terræ tuæ, ipse est enim Iubileus. Remissio hæc quæ nomen fecit huic anno quadruplicē erat: nempe 1. Remissio debitorum 2. Seruorum qui manumittebantur. 3. Bonorum & possessionum auitarum quæ fuerant venditæ & abalienatæ; redibant enim ad p̄fistinos hæredes gratis & absque pretio aut

compensatione aliqua. 4. demum remissio sive
vacatio terræ quam nefas erat sollicitare aratro
ac vomere aut vlo labore & opere rustico
exercere. vid. Abulens. Iosephus l. 3. antiquit.
c. 10. Iobel libertatem sive liberationem signi-
ficare docet, ex Sept. opinor qui Aphelin
vertunt.

Iubileus noster etiam remissionis est annus
imo & multò magis quam ille vetus, quanto
pluris habenda est spiritalis & animæ remissio,
temporali illa & corporea ; annum remissionis
& veniæ appellat Vrbanus VIII. Innocent.
uero X. annum sanctificationis atque Indul-
gentiæ: sunt nempe synonyma duo hæc nomina
Indulgentia & remissio saltem ex vsu Scripturæ
nam quod habetur Is. 61. prædicare captiuis
remissionem ; Luc. 4. effertur, prædicare capti-
uis Indulgentiam : vnde SS. PP. Cyprian.
Hironym. Aug. eadem notione usut pant; ut
videre est apud Bellarm. c. 1. de Indulgent.
Quod si maiis tamen hæc propria facere &
pro diuersis accipere ; remissio dicetur peccato-
rum seu culparum proprie ac seorsim ; Indul-
gentia vero præcise poenarum , congruenter
utique sensui. D. D. qui ex P. P. cum in
peccato insint duo videlicet culpa quæ labes
est & macula inficiens animam & poena quæ
noxa est cuius peccator se reum facit peccando,
docent tolli posse vnum, remanente altero, puta
culpam remanente noxa & poena peccato debi-
ta : vnde absolutis rite peccatis per Sacra menta
aut aliter, restare volunt poenitentiæ seu satis-

factionis obligationem ac nexum, cui possit tamen indulgeri ab iis quorum est in Ecclesia noxas nexusque omnes exoluere.

Atque hinc Indulgentiarum usus jam pri-
dem receptus & tandem auctoritate Trid.
conc. confirmatus sess. 25. in haec verba; cum
, potestas conferendi Indulgentias a Christo
, Ecclesiæ concessa sit atque huiusmodi potestas
, sibi diuinitus tradita antiquissimis etiam tem-
, poribus usa fuerit; Sacrosancta Synodus In-
, dulgentiarum usum Christiano populo maxi-
, me salutarem & sacrorum Conciliorum au-
, thoritate probatum in Ecclesia retinendum esse
, docet & præcipit eosque Anathemate damnat
, qui aut inutilem esse asserunt vel eas conce-
dendi in Ecclesia potestatem esse negant: ita
Sancta Sydodus oecumenica cui haec exami-
nare non in postremis fuit ob Lutheri petulan-
tiam aduersus indulgentias: quæ dum interpre-
tantur tractantque Ecclesiastici Scriptores In-
dulgentiæ vocem proprie usurpant pro remis-
sione & condonatione pœnarum quæ remanent
luendæ post remissionem culpæ, ita ut remis-
sionis vox quæ generaliter sumpta peccati abo-
litionem omnimodam secundum pœnam simul
& culpam, sonat; specialiter & proprie solius
culpæ absolutionem significet quæ semper re-
missionem pœnæ arque adeo indulgentiam
antecedat necesse est; neque enim pœna ali-
quando remittitur, culpa non remissa quo sit ut
indulgentia nunquam concedi soleat nisi absolu-
tis vel Sacramenti opera vel ope contritionis

sicque videmus in Bullis Iubileorum communiter apponi verba hæc concepta ; vere pœnitentibus & confessis , &c. Quod cum ita fit facilè hinc datur intelligi , cur hic noster Iubileus modo annus remissionis & indulgentiæ , modo indulgentiæ duntaxat in Bullis Pontificum dicitur ; nimirum quo planum fiat hoc anno patere omnibus ad veniā & impunitatem omnimodam aditum siue per Sacramenti pœnitentiæ expeditiorem usum siue per efficacissimam indulgentiarum largitionem quæ tanta est quanta potest esse maxima vnde & plenaria vulgo dicitur & à Bonif. VIII. emphasis ergo, plena, largior, imo plenissima peccatorum omnium venia appellatur quin & Paludan. in 4. sententiarum distinc. 20. q. 4. testatur ab eodem cautum fuisse ne pœnitentibus peccata confitentibus anno Iubilei pœnitentiæ & satisfactiones iniungerentur perinde quasi iis minime opus esset ; vt inde videoas quam merito hic annus remissionis & Indulgentiæ anni cognomen referat.

Et vero ut vnde sectionem hanc exorsus sum, eandem absoluam ; de Iubileo vetere diximus proprie remissionis annum quadruplici de causa nominatum fuisse , videlicet ob remissionem debitorum, agrorum, seruorum & possessionum siue hæreditatum : hæc totidem analogicè in nostro reperire est non litera sed spiritu. 2. Cor. 3. Debita in Iubileo vetere remitti solita præter complures alios Nauar. author est notab. 2. Cemment. de Iubil. In Iubileo , inquit,

, plena remissio præstabatur & constat ex eo
 , quod serui libertate donabantur, debita relaxa-
 bantur, &c. At in nostro hoc Iubileo spiritua-
 lia remittuntur debita peccando contracta, de
 quibus in oratione Dominica dicitur dimittit
 nobis debita; S. Aug. in Luc. de verb. Do-
 mini serm. 20. debitum quod est nisi peccatum
 quod dimitti possumus : quo autem paeto id
 fiat docuit nos Christus ipse Luc. 6. dimittite
 & dimittetur vobis ac si diceret vultis remitti
 vobis debita siue offenditie remittit & vos aliis
 remissio enim duplex est, una est à Deo altera à
 vobis, activa hæc, illa autem passiva; hæc ad
 illam via est & conditio per necessaria, nisi
 , enim remiseritis de cordibus vestris nec pater
 meus remittet vobis: Math. 18. Horum omnium
 debitorum remissio opportune fit, hoc anno;
 vti diserte explicat in sua indictione opt. & san-
 ctissim. Pont. Innocent. nam si unquam alias,
 , inquit, nunc potissimum iræ, rixæ & conten-
 tiones & inueterata odio dimittenda propter
 , Christum, nunc maximè seruos decet miseri-
 conseruorum suorum ut Dominus Clementissi-
 mus omne debitum dimitte eis, &c. Cæterum
 quo magis magisque analogia hæc patefiat:
 Obserua hic tria esse debitorum genera, nem-
 pe alia ex delicto, alia ex re accepta & alia ex
 contractu de quibus agunt Iuristæ & Theologi
 morales latè: simili ratione debita contrahimus
 spiritualia vel ex peccato, vel ob censuras vel
 nostris promissionibus & votis; quæ quidem
 omnia, hoc anno vel remittuntur & tolluntur

penitus vel saltem quoad eius fieri potest commutantur & transferuntur.

Sequitur nunc remissio agrorum quæ fiebat feriendo & vacando omni opere rustico ; id vero hoc anno mystice fieri , omnes qui comparationem instituere , admonent , Vrbano . quidem VIII. de gratuita indulgentiarum largitione interpretatur in hæc verba ; laboriosa eo tempore opera agriculturæ intermittebantur , nunc proprio quisque parcens labori , fructus quos Christi Domini Deiparae Virg. ac Sanctorum merita protulerunt uberrimos percipit . Nauarr. idem attulit totidem ferè verbis supra ; non procul abit Lauor. dum ait ; in illo cessabat labor arandi , in hoc cessat labor tenaci corporis penitentijs & austerioribus exercendi : sunt qui de rerum terrenarum despiciencia , qui de elemosynis , quiue aliter interpretentur : iam vero de seruorum remissione quod in veteri Iubileo constitutum fuit , suam in nostro analogiam habere comperitur dum ut Nauar. ait in illo libertas temporalis , in hoc spiritualis restituitur ; servi etenim peccati , beneficio Iubilei , à noxis & poenis liberantur ; quin & in purgatorijs carcere detenti non nunquam (ita ferente Pontificis instituto ; vti contigit in Iubileo Alex. VI. a. d. 1500.) inde euadunt . Denique ad nostrum pertinet quod in Iubileo vetere forebatur de possessionum & hereditatum regressus ad priores Dominos quasi postliminio ; nam , Vrbano interprete distracta tunc prædia , alienaque iuris effecta recuperabantur nunc virtu-

tes, dona & merita quibus peccando merito ex-
uimur, liberali Dei misericordia recipimus:
quæ subtiliter & erudite illustrata cernere est
apud Georg. Polach: nobis nunc sufficiat per-
strinxisse obiter quæ diximus ut inde certum
maneat nihilo minus nostro competere Iubileo
quam antiquo illi ut remissionis & indulgentiæ
annus cognominetur: de cognominibus modo
alijs dicendum non nihil.

Annus reconciliationis & pacis.

S E C T I O III.

Annum placabilem Is. 61. non alium
esse nisi Iubileum constans est Tracta-
torum assertio qui & benignitatis an-
num Ps. 64. cundem faciunt. Certe
Iubileus noster annus est benignitatis & plac-
tionis seu placabilitatis: In Bullis Pontificum
appellari solitus, tum annus pacis, tum annus
veniae & gratiae nec non & tempus quo Dei
misericordia eos tandem conuertat, quos sera
eius vlciscendi voluntas diu tolerauit, nostrum
ergo Iubileum pacis annum nuncupabimus
non solum quod in prouentibus anni huius ha-
benda sit pax, prout sperare nos iubet diuina
bonitas: sed pluribus etiam de causis, quas paucis
hic exequi placet.

Duplex est genus pacis huc spectans; vide-
licet

licet priuatæ & publicæ & illius quidem pariter
duplicis, internæ & externæ; quæas in Iubilei
tempus conuenire promptum est ostendere:
nam de publica quis noon perspicit nullum esse
tempus conciliandæ paci aptius; siue ratio ha-
beatur diuinæ bonitatis & clementiæ quam per
id tempus solere manifestiore fieri nullus
ambigit, siue occasionum & facultatum quæ
hoc anno se se dant ad pacem procurandam
sanciendamque multitudo attenditur, vt puta
imprimis quod Deus opt. max. Iubilei ope-
rite placatus libenter faxit vt pacis studium
omnium animis & mentibus insinuet, iuxta
illud Prou. 16. cum Placuerint Domino viæ
, hominis, inimicos quoque eius conuertet ad
pacem; sententia quippe est sapientum atque
piorum omnium, Bellum, Dei quoddam fla-
gellum esse quo punit hominum scelera; quam
S. Job sic eleganter exprimit cap. 19. vltor
iniquitatum gladius est: postquam igitur Deo
expiatis sceleribus noxisque omnibus reconciliati
erimus quid supereft nisi vt protinus cœlitus
missa pax, quam mundus dare non potest,
nos tandem aliquando reuifat.

Huc referuntur quæcumque Iubilei occasione
fiant vota precesque quibus exorablem fieri
Deum credimus: Adde Christianorum om-
nium Romam aduentum vt existat opportuni-
tas non poenitenda congregandi conferendi
que inuicem de rebus ad pacem ineundam ap-
positis idque; adeò apud summum Pontificem,
hoc est communem omnium parentem, apud

eminentissimos & sapientissimos Cardinales hoc est in communi Concilio Ecclesiæ in alma urbe hoc est in gremio pacis, sacras inter synaxes, communionis mylteria, &c. An non inde ortum quod in Ecclesiastica historia occurrit non semel aut iterum, sed saepe saepius, ut vel Pontifices ipsi ex occasione Iubilei consilium inierint sedandi bella Christianorum interque eos pacem & concordiam faciendi vel ex eiusdem opportunitate & commodo principes ipsi populi naëti facultatem colloquendi inter se se deque suis rebus conferendi, tandem Deo aspirante suorum votis, ad studia pacis animam adiecerint.

Hem pauca è multis huic rei fidem facientia : Primus omnium Iubileus, ea saltem appellatione gaudens, fuit ille Clementis sexti anno Christi 1350. in eo cum se eius lucrandi studio Ludouicus Hungariæ Rex Romam contulisset, pax inter eum & Ioannam Neapolitanorum Reginam conciliata est opera Legati Apostolici Guidonis de Belonia Cardinalis, ut author est Matth. Villan. l. 1. cap. 89. qui propè his interfuit. Annus quoque fuit Iubileus nostræ salutis 1450. sub Nicol. 5. quo tempore bellis æstuabant, non Italia modo ob Mediolanensem principatum; sed & Hispaniæ Aluari Lunæ præpotentiam indignatæ; quin etiam Francos inter & Anglos bellum exarserat, nec Germania immunis erat, atrociter gladiantib. cum Alberto Marchione Brandenburgico Nureburgensib. verbo dixerim, Europa

compsus erat Martius & Scena quædam tragica,
cum Iubileus jam appeteret; quid vero ineat
consilij optimus Pontifex? nihil potius habuit
quam Iubileum indicere: sed pro temporis
ratione, visum est opportunum ad solenne
Iubilei institutum adjicere ut pro pace concilianda
celebraretur: ad quod Sancto Antonino
teste oculato cui Platina subscribit, tanta conuenit
frequentia hominum ex viroque sexu,
quanta nunquam antea; inter quos fuere viri
Principes, vnde data Pontifici ansa agendi
cum de Christianorum pace tum de mittendis
Scanderbegi nec non & Peloponnesi seu Moreæ
Principi Paleologo suppetiis aduersus
Amurathem Turcarum Imperatorem.

Iterum quinquagesimo post anno, seculo sa-
lutis nostræ quintò decimo ineunte, Alexander
6. Iubileum edixit, eiusque occasione, inquit
Spondanus, quaquaversum nuntios misit qui
Principes Christianos ad pacem hortarentur:
quo exitu & operæ pretio videre est apud eun-
dem sub initium anni sequentis 1501. Sequenti
rursus quinquagenario id debetur quod Julio
3. venit in mentem Conc. generale Trid. in-
dicere, ubi & summo cum fructu peractum
vidimus. Ultimo demum quinquagenario sub
Clem. 8. initio huius seculi preter alia ad
Reip. Christianæ tranquillitatem & commo-
dum transacta; pax inter Regem Galliæ &
Sabaudiæ ducem affecta primum interuentu
Bonauenturę Calatageronę Patriarchę Con-
stantinopolitani nomine Pontificis ac post

modum opera Petri Aldobrandini Pontificis ex Fratre nepotis Legati ad eam rem à Pontif. missi confecta fuit : mitto alia id genus complura per summos Pontif. ex occasione Iubilei edita ; vnde manifestum fit Iubileos non im-meritò annos esse dicendos reconciliationis & pacis: & haec tenus quidem de ciuili pace & po-litica ; at multo sanè magis dici queat de Eccle-siastica, cuius beneficio schismata & hæreses tolluntur.

Nolo h̄ic morari in re obuia & vulgari, ecquis enim non videt non alia potiori de causa Iubi-leorum institutum existere quā vt inde obuiam catur schismatis atque hæresibus , vel si prodire cœperint , refellantur. Et vero quandōnam quāue id ratione commodiūs fiat quam dūm vndique Christianorum sit concursus Romam ad supremum caput Ecclesiæ , magistrum sidei , totius gregis Pastorem , ad Petri Ecclesiam , Petram & fundamētum cæterarum omniū , cui Christus ēternam obligauit firmitudinem , ad hanc namque Ecclesiam inquit S. Iren. suprà laudatus propter potentiores principalitatēs , necesse est omnem conuenire Ecclesiam , &c. & D. Cypr. l. i. Ep. 3. ad Cornel. Nauigare auent ad Petri Cathedram & Ecclesiam Prin-cipalem , vnde vñitas Sacerdotalis exorta est. Eipropter videmus sanctissimos Pontifices nihil magis satagere auteniti in suis indictionib. quam vt Christianis omnib. animum addant Romanis eundi quo facilius coalescere valeant & conciliari membra cum capite , cum optimo

parente filij, cum supremo Pastore oves: ut si
id demum quod Christus in votis habuit, vnum
ouile & vnum Pastor: Ioann. 10. Atque jam fa-
tis opinor de publica pace: ad priuatam nunc
quâ externam quâ internam veniamus.

Hanc partim in tranquillitate quadam animi,
partim in Dei amicitia, & gratia reponimus
atque ad eam Iubileum conducere hac ratione
affirmamus, quod cum Iubilei sit maximè pecca-
ta eluere próque iis Deo satis factum ire, quid
fieri potest ad animi pacem & tranquillitatem
conciliandam efficacius, quam conscientiæ
noxas penitus aboleuisse? Res per se loquitur,
& experientia communis fidem facit, vt que-
madmodum nihil inquietius ac turbulentius est
praua conscientia; semper enim sœua presumit,
Sap. 17. ita nihil sit pura & recta pacatius.
Quod de diuina pariter gratia & amicitia in
qua consistere pacem ex parte diximus, affirma-
ri queat, sicut enim non est pax impiis dicit
Dominus Is. 48. Deo in eos hostiles & im-
placabiles inimicities exercente: offendit
quippe numen, infensum fit necesse est: è con-
trario qui Deo fruitur placato ac propitio,
summa pace gaudet, & vitam agit planè alce-
doniam hoc est in mediis rerum etiam aduer-
saruit fluctibus ac procellis tranquillissimam.
Vnde qui pacem iustitiæ filiam indigitant id
opinor innuunt, non procreari pacem nisi iu-
stitiæ & probitatis opera: quo sensu dixerit
Isaias cap. 32. & erit opus iustitiæ pax. Proclue-
set hic parergos excurrere sed vagari non

libet vbi præsertim minime opus sit; & vero quid attinet ea contestari quæ nemo difficitur.

Agedum ergo quod superest de priuata pace externa exequamur quam in eo sitam volumus, ut inter Christianos vigeat fraterna charitas & concordia, nullæ intercedant mutuae similitates, inimicitiae, offensiones, rixæ, iurgia, & quæ horum omnium lerna sunt, odia; his namque summiotis charitas Christiana eiusque assidua comes pax continuo existet. Hoc vero unum aut certe præcipuum est quod Iubileorum institutio spectat: testis esto, ut missa faciam cætera, indictio S. D. N. Innocentij in qua nihil magis urgetur & inculcatur quam quod de odiis & similitatibus abdicandis deus Christiana charitate modo diximus: Postquam enim sub initium optimus ac sanctissimus: Pontifex hortatus est Principes ut condonatis inuicem offensionibus abieciuntque armis Christianorum cruore stillantibus fraternalis ac Iubilantibus animis Romam ad communem credentium matrem omnes conueniant: sub infert postmodum: quod commune vult esse Christianorum omnium tempus nullum videri aptius & conducibilius dimittendis contentionibus & rixis, odiisque propter Christum deponendis nec non & offensionibus condonandis, quam hunc annum: Ita SS. Pontifex: Cui præcinere visi sunt non solum qui proximè eum præcessere Romani Pontifices, Urbanus, & Clem. Octauii ambo in suis inductionibus sed & qui diu ante extitit Rupertus dum in

, cap. 25. Levit. ita scriptum fecit : hoc verè
, Sanctum & pulcherrimum Iubilei festum est
, Euangelica clangente buccina celebrandum,
, ita ut reuertatur homo ad possessionem suam
, cùm offendam omnē remittimus , ut discordia
, omni soluta cuncti redeant ad pristinam posses-
, sionem pacis & concordiæ , atque habeant cor
, vnum & animam vnam, canantque, ecce quam
, bonum & quam iucundum habitare fratres
in vnu: hæc ille ac multò plura, quæ quidem
omnia quid sibi volunt aliud quam quod hic
vertitur , Iubileum merítò dicendum esse
annum Reconcil. & pacis.

Quod si id demum adieceris quod can-
uistæ aliqui obseruant de pacis nomine , mi-
rum est quam in rem nostram id faciat: aiunt
nanque ex vsu veteris Ecclesiæ pacis nomine
significari indulgentias sive efferri apud Cy-
prianum eoque antiquorem Tertul. Etenim
cum antiquitus satisfactiones & pœnitentiæ
propter delicta præscriptæ essent , siebat ut in-
terdum aliqua de causa vel in totum vel ex
parte remitterentur ab Episcopis in quorum
potestate hoc semper fuit. Cum igitur oppor-
tunū videbatur sive ob intercessionem aliorum
fidelium præcipue Martyrum & Confessorum
sive ob dispositionem ipsorummet pœniten-
tium aliaue legitima de causa, non nihil remit-
tere & indulgere , id ab iis siebat : hocque
vocabant promiscue pacem dare , Indulgen-
tiā concedere : ita ut duo hæc synonyma
fuerint Pax & Indulgentia aut remissio , v.

videre est apud Tertul. quidem lib. ad Martyr. cap. i. apud Cyprian. autem ep. 14. & alibi frequenter. Quamobrem cum Iubileus, ut proxime superiori sectione vidimus Indulgentiæ & remissi. annus habeatur, quidni pariter habendus dicendusque sit annus reconcil. & pacis: superest.

Annus exultationis & gaudij.

SECTIO IV.

IUbalis potius quam Tubalis Iubileum esse vel ipsa nominis ratio arguit. Andreas Masius in caput 6. Iosue à Iubal Iubileum accersit; à Iubilo complures, interque eos D. Antonin. p. 1. tit. 10. cap. 3. plerique omnes, ut vidimus iam initio, à themate Iabal quod proprie sonat asserre & adducere cum gaudio: ab iō iō vocibus triumphantium sunt qui deducant; vnde & jobeleum proferunt. Vnde vero cūmque vocabuli notationem duxeris, certum manet non inscite Iubileum Iubili & Iubilationis annum nominari; & quidem Mosaicū Clemēs in sua extrau. vnigenitus Iubileum remissi & gaudij expresse appellat; nec immerito; quandoquidem singulāri cum exultatione peragi solitum, præter alia luculentum est Vrbini octauij testimonium in eius Bullā, vbi & Hebræorum exemplo nos ad patem

eoque maiorem letitiae & gaudij significacionem prouocat in hęc verba ; quapropter si , quinquagesimus ann. quem Deus Moysen sanctificare iussit incredibili Hebreorum plausu , atque inestimabili gaudio excipiebat, quanto magis decet Christianum orbem sacro Lubilem, lei anno recurrente lætari. Itaque & lubileus Hebreorum lætanter hilariterque exigi consueverat, & nostrum maiori etiam cum hilariudine ac lætitia transigendum vult Pontif. haud sane improbabiliter cum ut subdit, longe potior sit in hoc causa quam in illo vetere : in quo præter bona quedam temporaria ac terrena nihil magnopere iucundi & accepti erat; in nostro autem affatim est bonorum omnium; atque imprimis spiritualium & cælestium gratiarum & indulgentiarum thesauri ingentes omnibus prostant, absolutio noxarum quam potest fieri amplissima , diuinæ demum beneficentiae tanta vis , tantaque donorum & largitionum supernaturalium effusio ut quemadmodum Urbanus Oct. testatur, tot tantaque eo anno ad hominum sanctificationem beneficia cœlitus promanent : ut pene sacros omnes thesauros diuina munificentia in Christi fideles diffundere videatur; quid plura ? e quidem non video quid addi his possit, nec proinde quid desiderari queat ad supremum lætitiae cumulum qui indidem exortitur; quem utique tantum esse conuenit quantus potest esse maximus.

Et vero huiusmodi est quem per id tempus Romana p[ro]p[terea] se fert Ecclesia in suis ritib. &

ceremonijs, quem Romani Pontifices in suis Constitutionibus exprimunt: mirum est quantum opere hi mentionem gaudij & lætitiae inculcatum eant; vel vnu omnium instar Innocentius S. D. N. in sua inductione nihil videtur præ hoc vno habere; modo enim cordis sui lætitiam prodit verbis summiæ emphaticis & significantibus; modo lætitiae causas & inuitamenta stylo eodem exhibet modo ad testificationem lætitiæ hortatur: tota denique eius inductione eiusmodi acroamatis abundat & scatet, quæ inibi cernere est. Quanta vero cum lætitiae & gaudij significatione anni huius ceremonias & solennes ritus Ecclesia obeat, notius est quam ut mea aut cuiusquam oratione opus sit: præter libros Rituales & Pontificios, Nauarr. in comment. de Iubileo extremo, precum quæ in solemniori ceremonia apertoris Portæ sanctæ cani solent, formulas recitat in quibus nulla vox frequentior quam iubilationis & exultationis; ibi enim Ps. 88. qui incipit Beatus populus qui scit iubilationem; & 65. cuius initium est, Iubilate Deo; item 99. &c. nec non & hi versus, hæc dies quam fecit Dominus exultemus & lætemur; Beatus populus tuus Domine qui scit iubilationem. Ad hæc officium vespertinarum precum profesti natalis Christi auspicatur Pont. Max. à triumphali Cantico Te Deum. Quæ omnia non levia sunt singularis cuiusdam gaudij & lætitiae indicia.

Pro coronide hic esto quod aliqui inde concipiunt morem proclamandi natale festum

Christi summa cum exultatione , videri ex eo profectum quod Iubilei ab hoc festo soleant inchoari, vnde ortum volunt ut Serario teste, vel ipsa vox natalis pro Iubilationis & laetitiae Symbolo soleat usurpari & cantica vocentur natalia quæ toto aduentu cantitantur , quæ illi non à natali festo præcisè cuius haud dubiè minor esse videtur dignitas quam Paschalis sed ex eo quod natale Christi initium dare soleat Iubileis, ortum habere putant. Est ergo Iubil. quam maximè ann. laetitiae & gaudij ad quem tanquam ad publicum quoddam & solenne hilariorum festum Christiani omnes inuisitantur: Eia igitur , agite dum Christi fideles vndique gentium ad festum hoc accedite protinusque SS. Pontif. hortatu in viam vos date , ad vocem pastoris gregatim accurrite : hemi verba quibus paternæ & amabiliter in sua indicet. vos compellat ; Audite hæc omnes Christi sanguine redempti , &c. Intrate exultantib. animis portas eius ; haurite cum Iubilo de fontib. Salvatoris , &c. Et nos pariter expositis hactenus satis toto hoc cap. Iubilei epithetis atque elo- giis quod reliquum est , ad eius nuuc effecta seu fructus aggrediamur.

De effectis seu fructibus Iubilei.

C A P U T V.

DE priuilegijs & commodis Iubilei veteris mosaici nihil attinet pluribas hic agere cum & in saepe cita. cap. Leuit. 25. & apud Iosephum lib. 3. antiq. c. i 4. & apud Scripturæ tractatores & alibi, ea videre sit; tum maxime quia illo iam antiquato planèque desito nihil superest commodi aut emolumenti quod sperari nedum percipi ex eo queat, quemadmodum excisa & emortua arbore nulli restant ex ea carpendi fructus. De nostris itaque Iubileis sermo hic est; de quibus vniuersitate imprimis dicendum, quidquid ex ijs tandem existat commodorum & fructuum, id totum à Rom. Pontificum munificentia pendere, quorum est thesauros Ecclesiæ pro ut ipsis visum fuerit expedire diuino honori & fidelium bono, expendere. Quamobrem cum hoc plane ex eorum arbitratu pendeat; videndum est quidnam ferant ipsorum constitutiones & Bullæ; tantum enim valent quantum sonant, neque porro vna atque eadem est omnium ratio.

Primum ergo Bonif. 8. extrau. antiq. hæc habet: non solum plenam & largiorem imo plenissimam omnium suorum concedimus veniam peccatorum; quæ non uno ab omnibus

modo explicantur : nam Zetola ex Nauarro plenam uocat indulgentiam per quam tollitur poena peccatorum confessione expiatorum ; pleniorem siue largiorem eam vocat per quam tollitur poena tum pro peccatis omnibus confessis , tum etiam pro mortalibus non confessis debita ; plenissimam vocat eam per quam tollitur poena pro omnibus peccatis etiam non confessis etiamque venialibus debita : distinctionem hanc non probat Soto in quart. dist. 21. q. 2. a. 1. quem etiam sequitur Medina de indulgentijs qui aiunt idem omnino esse indulgentiam plenam siue plenariam , plenioram seu largiorem & plenissimam ; hancque formulam concedendi indulgentiam plenariam plenioram & plenissimam potius valere ad tolleendum scrupulos qui ex varietate opinionum oriri possunt quam ad differentiam aliquam huiusmodi iadulgentiarum denotandam quæ prorsus eadem ac synonymæ sunt importantque remissionem pœnarum omnium peccatis quibuslibet quâ mortalibus quâ venialibus , quâ confessione quâ alter deletis , debitarum ; siue iniunctarum siue non , quomodocumque tandem : & hæc doctrina modo communis est nec à Bonifacij mente abhorret ; is enim , pro ut in glossa eiusdem extraugantis refertur , rogatus quid sibi vellet hac verborum exaggeratione , respondit nihil ea loquendi formula à se intellectum quam ut concessam vellet illam omnem indulgentiam ad quam se claves Ecclesiæ possunt extenderet .

Hinc fortè est quamobrem reliqui omnes qui fuere post eum, Iubileosque indixere Pontifices formula hac omissa satis fore duxerint si indulgentiam plenariam vel plenissimam à se conceperi exponerent: sic namque à Clem. 6. ad nostrum usque S. D.P. Innoc. X. factitatum videamus in ipsorum inductionibus quarum omnium hæc iam ferè concepta sunt verba, omnibus Christi fidelibus verè poenitentibus & confessis qui, &c. plenissimam omnium peccatorum indulgentiam remissionem ac veniam misericorditer in Domino concedimus & impartimur, ubi per omnium peccatorum indulgentiam & remissionem non ipsa peccatorum remissio & absolutio quoad culpam intelligenda est; illa siquidem non sit nisi beneficio poenitentiae seu Sacramentalis seu fortè alterius; sed de peccatis quoad poenam vel de peccatorum iam aliunde quoad culpam remissorum poenis dumtaxat, debet intelligi. Etenim nomine peccatorum saepe significantur ipsorum poenæ; sic 2. Machab. 12. dicitur orandum pro defunctis ut à peccatis soluantur; putà vt liberentur poenis quas luunt vita functi pro peccatorum iam dum in viuis essent remissorum plena & integra satisfactione usque ad nouissimum quadrantem, quod in Purgatorio fieri docet Ecclesia Catholica ex PP. Igitur cum in Bullis Iubileorum habetur concedi peccatorum omnium indulgentiam, peccatorum nomine inibi poenæ sunt intelligendæ; nisi forte maiis hoc accipere theticos & comparare ad ea quæ præcedunt: semper enim

præmittitur ; omnibus Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis : ac tum subiungitur, plenissimam omnium peccatorum indulgentiam remissionem ac veniam concedimus : ac si diceretur peccatum omnium iam per præuiam confessionem aut pœnitentiam deletorum quoad culpam , quod superest pro pœnis & satisfactionibus indulgentiam remiss. & veniam concedimus , & impartimur.

Quo sensu puto etiam accipiendum quod in aliquibus Bullis reperitur , remissionem pœnæ & culpæ concedi, ut puta quod non solum pœna per Iubileū sed & culpa beneficio sacrameti pœnitentiæ & confessionis remittatur : præser-tim cum, ut assolet , per Iubileum confessario-rum potestas extenditur ad casus quoslibet reseruatos omnesque censuras; nam tum maxime valet per causam & vim Iubilei omnib. Christi fidelib. verè pœnitētibus & confessis plenissimā peccatorum omnium remiss.tam quoad pœnam quam quoad culpam concedi. Atque haec tenus de hac formula de qua scripsere præter Nauarr. in Comment de Iubileo & Indul. à Notabili 9. deinceps ; & Bellarm.lib.1.de Indul.c.7. & Valent. tom. 4. disp. 7. p.3. & Suar. tom. 4. disp. 50.sect.1.& Emmanuel. Roderic quæstio-num Regul. tom. 2.q.86. a. 3. & Filiuc. tom.1. tract. 8. c. 7. alij innumerabiles Theologi quâ Morales quâ Scholastici quos consulat cui vacat: mihi nec integrum nec volupe est cuncta quæ hic se offerunt disputanda , ex amissim ita directum ire. Ut ergo claudam hoc cap. restat

ut pro defunctis verbum hac addam, quod sug-
gerit Nauarr. notab. 22. non videri anni huius
indulgentiam mortuis prodesse saltem iure or-
dinatio: nempe nisi SS. ipse Pont ifa statuat ac
diserte id explicet pro ut factum constat ab
Alex. 6. in sua Constitutione: atque hinc etiam
fit ut quando aliæ omnes indulgentiæ extra vr-
bem concessæ anno hoc Iubileo suspenduntur,
id de jis quæ pro defunctis datæ sunt, mi-
nimè intelligatur.

*Quid sit factio opus ad hos fructus.
reportandos.*

C A P V T V I.

Quid fieri conueniat ut quis sit compos-
Iubilei magnam partem in Bullis indi-
ctionum exprimitur. Quædam sunt
per se omuino necessaria: ut primò sta-
tus gratiæ saltem in extremo actu.

2. Quod inde consequitur ex parte, ut culpa
peccatorum sublata sit: neque enim poena tolli
potest, nisi sublata prius culpa siue per Sacra-
mentalem poenitentiam, siue alia quacumqne
via: plerumque in Pontificijs Constitutioni-
bus confessio præscribitur.

3. Accessus seu profectio ad urbem siue ea fiat
pedibus siue iumento, siue etiam rheda aut
vehiculo, terrâ, mariue, nihil dum interest:
quin

quin neque modo necesse est Romam attingere; vel se in viam dedisse sufficit: ita expresse quatuor vltimi Pontif, qui iter aggressos morbo vel alia quauis causa legitime impeditos aut morte præuentos volunt haberi pro rite perfunctis ea omnia que opus sunt, ideoque Iubilei participes fieri.

4. Ecclesiarum visitatio pia ac deuota: primitus non nisi SS. Petri & Pauli ex Bonifac. extrau. deinde ex Clem. accessit & Lateranensis; at Greg. XI. fertur ijs adiecissem Basilicam sanctæ Mariæ Maioris quod postmodo Urbanus VI. alijque deinceps sequuti sunt hodieque obtinet. Cæterum deuotam oportet hanc esse visitationem tum quod ita præscriptum sit dum dicitur Qui SS. P. & P. Apostolorum Basilicas, &c. deuote visitauerint; tum quia ratio ita fert, par quippe est ut bene ac rite fiat quod fieri præcipitur, ad consequendum fructus Passionis Christi, & ad diuinas largitiones quæ hoc anno fluminis instar vehementis & copiosi lætificant Ciuitatem Domini, honeste congruenterque impetrandas. Vide sis Nauarr. cit. iam comment. de Iub. notab. 19. & 32. ubi & quæstionem mouet sintne Ecclesiæ omnes & singulæ ad visitandum propositæ, quot diebus visitandæ; vel an sufficiat visitasse eas omnes quocumque modo per tempus præfixum prout visum fuit authori glossæ extrau. Antiquorum Ioanni Monacho; qui etiam refert idem visura ipsi Bonifacio: prius tamen magis placet Nauarro qui ne videatur autoritate etiam concedere; Boni-

facio opponit Greg. 13. quem ait contrarium respondisse ; atenim si Fillucio fides , tantum abest, à Greg. vt id dictum fuerit, vt planè contrarium dixisse eum Fillucius affirmet; qua de re ipsi inter se se viderint , de facto quippe quæstio est. Ad iuris vero quæstionem quod attinet, equidem si fas est meum vt Connæ calculum hic apponere , dicendum videtur ; si verborum præcise ratio habeatur vix posse aliter ac visum fuit Nauarro intelligi ; ecquid enim aliud sibi vult; qui SS. Petri & Pauli Apostolorū Basilicas, Lateranensem quoque & S. Mariæ Mai. almae urbis Ecclesias semel saltem in die visitauerint, nisi quotidie eas omnes esse visitandas, ni forte in gratiam Glossæ Bonifac. dīci placeat per hæc verba, semel saltem in die ; non omnium quidem singulis diebus visitationem faciendam præcipi , sed singulis diebus saltem alicuius illatum, ita vt adiunctum hoc (saltem semel in die) non modificet nisi (visitauerint) præcise & simpliciter quotidianam visitationem iniungendo , non autem Ecclesias omnes complectendo simul ac semel quotidie visitandas , vel vt indicetur hinc non esse opus visitationem eiusmodi tenere totos dies 15. vel 30. prescriptos, sed vel vnico die peragi posse, quasi diceret si nequeant saepius per totum illud tempus frequentari vt operæ pretium videretur , saltem semel in uno die aliquo visitandas ; hæc interpretatio commoda est & probabilis ; vt porro sit cumque aiunt nunc praxim ferre vt Ecclesiae omnes singulis diebus visitentur.

5. Necessaria est oratio aliqua inibi facienda, siquidem proxime subditur, & pro ipsorum fidelium ac totius Christiani populi salute pace & concordia, pias ad Deum preces effuderint; quod valet in hoc nostro & in superioribus aliquot Iubileis: nam primitus simpliciter requiebatur accessus ad Ecclesias quem extrauagans vnigenitus addit debere fieri deuote & reverenter cui consonat constitutio Sixti 4. illa Gregorij 13. pro totius populi Christiani salute pias ad Deum preces fundi imperat: vnde reliqui Pontifices mutuati sunt. Cæterum qua precum formula vti oporteat non constituunt: Quare Nauarro authore notab. 32. quocumque id modo fiat, quibuscumque verbis, immo & sola mente secretò, perinde est; dummodo mens sit pro totius Christiani populi salute & pace precari.

6. Denique inter necessaria Confessio reponitur; certe in Bullis exprimi solet ubi dicitur omnibus Christi fidelibus vere poenitentibus & confessis. Vnde necessariam prorsus confess. esse, sunt qui asserant Caiet. opusc. de Indul. cap. 20. Nauar. notab. 18. Nugnus in tertiam part. q. 27. a. 3. dub. 2. Syluest. indul. q. 8. alijque: at Suares tom. 4. in 30 p. disp. 52. sec. 3. id negat, cui astipulantur permulti & vero pro ijs qui non habent peccata nisi venialia, Nauarr. ipse fateri cogitur notab. cod. n. 17. & notab. 30. n. 6. itemque pro ijs qui ad confess. parati, vel ob inopiam confessarij, vel motbo aut etiam excommunicatione prohibiti aliue iusta.

de causa præpediti nequeunt confiteri; quod ex Angelo profet in summa verbo indulgentia §. 17. quoniam ea mens faisse videtur Pontificis cuius est conditiones ferre quas libuerit, cuiusque voluntate & arbitrio stat totum hoc negotium. Quocirca otiosum iam videbitur querere num sufficiat aliquando confiteri toto tempore præscripto, vel certè præmitti debeat confessio alijs omnibus officijs, maxime Ecclesiarum visitationibus ut vult Benson. dub. 4. etenim cum confessio absolute necessaria non sit, minus utique necesse fuerit eam præcedere aut alio quouis loco ponи. Quin ex ijs etiam qui confessio-
nis necessitatem adstruunt, reperire est quibus insuper habeatur eam quocumque loco aut or-
dine fieri, modo per annum fieri contingat.
Quod ex ipsiusmet indictionum verbis expri-
mant quæ sic habent; in citima quidem Vrbani,
, VIII. Quo ipso Iubilei anno durante omnibus
, utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus & confessis qui &c. in nostra vero: Qua
, SS. Iubilei celebratione durante omnibus
, Christi fidelibus vere poenitentibus & confessis, &c. Vnde arguunt sufficere si durante anno
Sæcto cum Ecclesiaru visitationes tum confessio
aliaque inibi iniuncta fiant quamquam ut dixi
initio huius cap. necesse sit Fidelem status gra-
tiae compotem existere in eo temporis puncto
sive intrinseco, sive extrinseco in quo ponitur
ultima conditio requisita ad indulgentiam, sive
in quo debet fieri remissio poenæ: atque haec tenus
de necessarijs ad comparandos fructus Iubilei.

Præterea vero quædam sunt in Bullis iniungi solita ut Eleemosynæ , ieunia , orationes pro Regibus & Principibus Christianis proque eotum inter se concordia & pace ; postremo inter peregrinandum modestia , deuotio , & fraterna charitas : quæ omnia quamlibet honesta & sancta non tam imponi & mandari censenda sunt, quam simpliciter vel ad decorum commendari .

*De sacris Ritibus & Cerimonijis
huius anni.*

C A P V T VII.

SVnt qui Iubileum veterem dicant aliquot ante mensibus quam inciperet solitum fuisse indici & proclaimari , nempe in so- lenni festo expiationis idque opinor ma- xime in vrbe Metropoli atque vt scriptura tra- dit buccinarū clangore ac strepitu maximo . De nostro scimus publicari atque indici solitum Romæ in festo Ascensionis Dominicæ , ante- quam inchoetur , septem aut octo mensibus per duos præcones quorum unus Bullam indictio- nis Latinè recitat , & alter Italicè ; ac tum exemplaria mittuntur per vniuersas orbis Chri- stiani Ecclesias , quo indictum esse omnes re- sciant . Indictus & promulgatus in hunc mo- dum Iubileus inchoari solet in profecto seu

peruigilio natalis Domini proximè sequentis ante vespertinas preces, hac ceremonia & pompa solenni : instituitur quippe supplicatio & processio longè augustissima ad quam præter turbam prosequentium innumerabilem conueniunt Principum omnium Oratores & Legati, omnes urbis Magistratus, Pœnitentiarij minores qui apud Vatican. resident, Prælati in urbe commorantes, Sacrum Eminentissimorum Cardinalium Collegium , ac denique Sum. Pont. pluiali suo indutus: qui omnes composito ordine & Cruce prævia se conferunt ad Sacellum, seu Capellam Palatij Apostolici, in qua Pont. alijque genu flexo ante sanctiss. Sacramentum orant; dum interea faculæ accenduntur distribuendæ tum Cardinalibus tum alijs ordine processuris , quibus distributis Pont. sumpto in manus thuribulo Sacramentum incensat ac tum intonat Hymnum *Veni creator spiritus*, qui continuatur à Cantoribus ; indeque proceditur ordine ad S. Petri Basilicam, Pontifice in sua, ut fit, Cathedra Lecticiorum humeris gestato.

Postquam eò ventum est Pont. ante portam Sanctam , siue auream vt vocant constitutus, quæ muro è coctili latere occlusa est , ibique è Cathedra depositus lœua cereum , dextra tuditem argenteum gerens ad portam se sistit quam tudite ter percutit præcinctendo versus sequentes quos tertio repetit respondentibus pariter cantoribus.

Pers. Aperite mihi portas iustitiae ,

Rsp. Ingressas in eas confitebor Domino.

- Vers.* Introibo in domum tuam Domine,
Resp. Adorabo ad templum sanctum tuum in
timore tuo.
Vers. Aperite portas quoniam nobiscum
Deus,
Resp. Quia fecit virtutem in Israël.

Post hæc ad sedem regressus dicit. *Vers.* Do-
mine exaudi orationem meam. *Resp.* Et cla-
mor meus ad te veniat.

Et ecce continuo Fabri & Ministri parietem
ex aduerso subruunt singulari artificio , nemini
vt neque casu & ruina nec puluere incommo-
det , prosequente interim Pontifice institutam
orationem hoc modo.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spi-
ritu tuo. *Oremus.*

Actiones nostras quæsumus Domine aspi-
rando præueni , &c. Qua oratione finita
Symphoniaci cantant Psal. Iubilate Deo om-
nis terra; & alia Iubilationis cantica quibus cor-
nicines & tubicines lætos clangores tubarum &
lituorum permiscent, omnibus inde festo cantu
latè perstrepentibus. Populo interea parietis di-
ruti Rudera & fragmenta certatim colligente
eaque Religionis causa pro sacrissimis quibusdam
reliquijs habente. His ergo de medio sublatis
Pœnitentiarij cum aqua lustrali accedunt ad
abluendas postes portæ sanctæ. Cyrill. franch.
de cerem. quibus Greg. 13. est usus agens ait
summum pœnitentiarium aliosue duos itidem
pœnitentiarios accepto malleo portam percus-
sile : si hoc sit , dicendum videtur vel id tum

speciatim factum ex accidenti aliquo , vel perinde fieri solere à penitentiaris iussu ac vice Pontificis atque ab ipsomet Pontifice , prout nempe iphi visum fuerit : at illorum est proprium portæ sanctæ muro iam dirato ac prorsus per populi deuotionem sublato , postes abluere : quod dum ab ijs sit , solet Pont. hæc precari cantoribus pariter respondentibus.

Vers. Hæc dies quam fecit Dominus.

Resp. Exultemus & letemur in eam.

Vers. Beatus populus tuus Domine.

Resp. Qui scit Iubilationem.

Vers. Hæc est porta Domini.

Resp. Iusti intrabunt in eam.

Vers. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Vers. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus qui per Moysen famulum tuum populo Israelitico annum Iubilei & remiss. instituisti , concede propitius nobis famulis tuis Iubilei annum hunc tua authoritate institutum quo portam hanc populo tuo ad preces tuæ maiestati porrigendas ingrediente solenniter aperi voluisti , feliciter inchoare , ut in eo venia atque indulgentia plenæ remiss. omnium delictorum obtenga cum dies nostræ euocationis aduenerit , ad cœlestem gloriam perfundam tuæ misericordiæ munere perducatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Hoc dicto datur Crux in manum Pontificis

qui genu flexo ante portam sanctam præcinit,
Te Deum laudamus, & intrat portam sanctam
prosequentibus voce & incessu cantoribus.

Iam ingressus reponitur in sua sede, in qua defertur usque ad altare maius, ubi ex sede descendens orat coram altari, indeque ad aliam sedem ipsi paratam in suggesto ascendit, è qua vesperas intonat: eodem tempore 3. alij Cardinales à Pontifice missi aliarum 3. Ecclesiarum videlicet sancti Pauli, S. Ioan. Lateran. & sancte Mariæ Maioris portas sanctas aperiunt persimili Ritu; quæ omnes portæ toto hoc anno aperte remanent, patetque hinc omnibus Christi fidelibus ad Indulgentias Iubilei & gratias accessus: de hac autem ceremonia agunt impensis Benzon. lib. 4. c. 13. Franch. cap. 3. Nauar. in fine comment. de Iubil. Polach. in suo item comment. sect. 40. Lauorius cap. 24. Bulenger, &c. Vnde porro ea duxerit originem non plane liquet: est tamen aliquanto antiquior quam Onufrio sit creditum; eius certe mentionem facit Alex. 6. in Bulla quæ incipit inter curas, &c. non tanquam Ritus nouitij sed nam longo usu recepti. Burchard tradit in diar. &c. eod. Alex. aperuisse consuetis Ritibus & more solito portam Sanctam in vigilia natalis Domini.

Sed quoniam hæc primaria quædam est ceremonia Iubilei, pretium est operæ pluribus de ea & accuratius agere, ut ergo rem totam altius atque, ut dicitur, ab uno repetamus ex Iure Canonico dist. 50. c. 58. in cap. 40. & alibi, constat iam à primo in Ecclesia viguisse usum publicæ penit.

tentiae quo ferebatur ut publici poenitentes prohiberentur ingressu Ecclesiae donec satis fecissent sacrorum canonum legibus: cum autem fiebat ut vel post satisfactionem, vel etiam ex Indulgentia quae ab Episcopis aut Poenitentiariis concedi poterat, poenae ob peccata iniunctae remitterentur, ante fores Ecclesiae iubebantur venire ut ibi se sisterent & veniam flagitarent supplices absoluerenturque; Gloss. 161. & 26. q. 6. c. 1. Tunc porto in gremium Ecclesiae restituti portis Basilicæ apertis ad altare deducebantur non sine festo concentu: idque vocat Tertul interprete Pammelio postliminiū largiri Ecclesiasticæ pacis, dedamnare & concorporare rursus Ecclesiae. Id vero ut fieri quidem soleret quotiescumque opus erat pro singulis quibusque in particulari; tamen solenniori quodam Ritu stata erant tempora huic rei addicta atque omnium maxime perugilia cum natalis Christi tum Paschatis: solenne tunc quippe erat publicis poenitentibus die dicta ad Ecclesiae limina sese agminatim sistere, vbi ab Episcopo præ foribus tum clavis sedente in suggesto, cleroque circumstante excepti, cohortationem Episcopi vel Poenitentiarij siue alterius è Clero, prostrati ac supplices exaudiabant, de in solenni absolutione impertiti iussisque recludi foribus, intrò præeunte totius Cleri processione ad altare deducebantur, & cantato illic Te Deum, gratijsque Deo rite actis ibatur in mutuos amplexus. Ex hoc igitur prisco Ritu profectum puto ut similem in modum ineunte Iubileō, Eccle-

fiarum portæ pandantur, quo significetur vniuersalis remissio & indulgentia peccatorum quæ per hunc annum cunctis pœnitentibus exhibetur.

Iam vero quod ad initij tempus spectat, inchoari pridem solitum hunc annum à festo nativitatis Christi certò certius est. In constitutione Sixti 4. expressè hoc habetur; fueritne is author ambiguus: quisquis porro fuerit, id factū autumo non quia natus sit Christus anno 1050. à mundi conditu ut aliqui somniant, sed quia antiquitus in Ecclesia maxime Romana moris fuit annum aufpicari à die nat. Christi, vnde Kalendarum nomen hodieque apud aliquos retinet: sunt qui velint id ab Eug. 4. institutum, at de eo minime constat; nullum certe extat diploma Pontificium ea de re in Bullario, quod equidem sciam. Glos. extrau. Bonifacianus Iubileum ait in aduentu Christi sumpsisse initium: ad hoc enim, inquit, Christus venit ut remiss. & indulgentiam prædicaret ex Isa. 6. Vnde inferit à nat. D. N. I. C. in qua verus Iubileus incœpit quemlibet sequentem ann. quinquagesimum rectissime vocari posse Iubileum: hęc de initio Iubilei in presens dicta sufficient; de cuius fine mox dicam, si prius de nomenclatura portæ sancte non nihil perstrinxero.

Portam autem sanctam vocant imprimis eam quæ in Basili ca Vaticana Principis Apostolorum ad latus portæ maioris cernitur elausa: que perpetuo in anet extra ann. S. siue Iubil. nomen sumit vel ^ab anno Sancto cui seruit, vel

quia magna religione & veneratione colitur; soletque à fidelibus passim etiam dum clausa manet adiri & frequentari. Dicitur quoque ead, aurea id est sacra quemadmodum hora diei ter-tia vulgo apud Italos aurea appellatur; in Iure vero sacra ut potè factis destinata: ad huius portæ instar aliæ sunt in singulis Eccles. Patriarchalibus singulæ.

Iam de ritib. & ceremoniis quib. ea claudi solet paucis agamus, de quib. agunt multis Benzon, cap. 16. Polacch. sect. 40. n. 5. Nauarr. Com. iam citato extremo ex quo libari hæc placuit. Finitis igitur priorib. vesperis festi nat. Domini instituitur solennis supplicatio instar illius quæ anno præcedenti ante initium Iubilei habita fuerat; quam Pontifex auspicatur intonando. Cum iucunditate exhibitis, &c. cantorib. reliquum ut in Pontificali extat prosequentib. sicque exitur ordine per portam sanctam extra quam Pontifex ad eam obuersus incipit versiculos sequentes.

Vers. Adiutor. Nostr. in Nom. Domini.

Resp. Qui fecit, &c.

Vers. Sit nomen Domini benedictum.

Resp. Ex hoc nunc & usque in sæculum.

Vers. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes.

Resp. Hic factus est in caput anguli.

Vers. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Vers. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Summe Deus qui summa, media, imaque custodis qui omnem creaturam intrinsecus ambiendo concludis, sanctifica & benedic has creatureas lapidis, calcis, & fabuli. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Deinde cænentum & lapides aqua lustrali aspergit & incenso adolet: ac tum ponendo primum lapidem dicit sumissa voce; in fide & virtute Iesu Christi Filij tui viui qui Apostolorum Principi dixit, Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, collocamus lapidem istum primum ad claudendam hanc portam sanctam singulo Iubileo anno referandam, In nomine P. & F. & Spiritus Sancti. Amen. Interea canitur hymnus vrbs Beata Hierus. &c. quo finito lotis manibus cantat quæ sequuntur.

Vers. Saluum fac populum tuum Domine.

Resp. Et Benedic hereditati tuae.

Vers. Fiat misericordia tua Domine super nos.

Resp. Quemadmodum superauimus in te.

Vers. Mitte nobis Domine auxilium de Sancto.

Resp. Et de Sion tuere nos.

Vers. Domine exaudi, &c.

Resp. Et clamor, &c. Dominus vobisc. &c.

Oremus.

Deus qui in omni loco dominationis tuæ clemens & benignus exauditor existis, exaudi nos quæsumus & præsta ut inviolabilis permaneat huius loci sanctificatio, & beneficia tui muneris in hoc Iub. ann. universitas fidelium

impetrasse letetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

His ita dictis factis clauditur Iubileus simul cum porta Sancta atque aliis tribus partibus, ita Namarr. & Filiuc., &c. quod vniuersitate verum est lege ordinaria: nam aliunde non semel accidit ut hic ordo variauerit. Clem. 8. saeculo hoc ineunte quemadmodum portam Sanctam non aperuerat nisi in profecto Circuncisionis, Chiragra prohibitus, ita etiam recurrente anno, eadem defensus necesse habuit Iubilei terminum usque ad oct. Epiphaniæ hoc est ad diem 13. Ianuarij protrahere: Iulius item 3. cæptum in festo S. Matthiæ quod ob sedis vacationem inchoari ante non potuerat, ad Epiphaniam usque in sequentem prorogauit.

Hactenus sacrorum rituum enarratio historica quam si ad sensum moralem mysticum referre placet videndus est Franch. c. 27. maximeque omnium Benzon. l. 4. c. 13. quib. ut aliquid de meo addam, pauca haec accipe. Mysterio utique non vacat 1. quod hoc anno portæ Sanctæ pandantur quæ occlusæ dudum manserant; quod Ecclesia per hunc ann. suos omnes thesauros suosque gratiarum & bonorum fontes patere omnibus velit, quo vniuersi fideles intrantes, ut loquitur SS. D. N. exultantibus animis portas eius, hauriant cum Iubilo de fontibus saluatoris. Hi nimirum sunt diuini fontes, haec cælestes cataraætæ hoc anno aperi solitæ non ad perdendum sed ad saluandum potius vniuersum genus hominum ut ann. hic Iubileus

merito dicendus sit illi generalis diluuij velut Antistrophos, hoc est proportione quadam oppositus: nolo hic comparationem instituere, quod proclive fuerit: id vnum omitti non placet quod ad hanc, qua de nunc agimus, portæ Sanctæ ceremoniam mirificè confert; vide-licet dum dicitur Deus portam arcæ initio diluuij occlusisse, in fine vero eandem reclusisse; contra quam hoc anno fieri videmus quo ineunte porta Sancta recluditur, exente autem rursum occluditur, ut vel inde utriusque huius anni Antithesis appareat. Secundò mysteriodes dicendum, quod à Rom. Pontif. hoc est à Petri successore cui traditæ sunt claves regni Cælorum, id fiat: cuius namque est potius Ecclesiæ portas recludere & claudere quam usquam S. Hilar. Beatum Cœli Ianitorem vocat, cuius arbitrio claves æterni aditus traduntur: tu es cui claves traditæ, inquit S. Bernard. ad Eug. qui vicarius est & minister illius, qui habet clauem Dauid; qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit Apoc. 3. eius itaque est referare & obserare ostium Ecclesiæ. 3. Demum neque mysterio vacat quod cum. 4. sint portæ Sanctæ, 4. Bafilicarum quas visitare subit ad lucrandas Iubilei Indulgentias, illa S. Petri ad solum pertinet Pontif. aliæ Cardinalib. demandari solent, nimirum ut vel inde palam fiat solum Petrum caput esse Ecclesiæ penes quem vnum suprema sit authoritas ac iurisdictio. Sanct. Max. serm. vlt. de Petro & Paulo: Petro, inquit, clavis potentie, Paulo clavis

, sapientię data est. Viderint proinde qui nobis , bicipitem Ecclesiam faciunt : nos Ecclesię ca , put & radicem tenemus ! Ecclesia quę vna est super vnum qui claves eius accepit voce Do mini fundata est ; S. Cypr. ep. ad Iubaian. hoc nempe est quod significari diximus dum Cardinalib. aliis iussu Pontificis portas Sanctas alia rum trium Ecclesiarum oecludentib. & reclu dentib. illam D. Petri recludere atque occlu dere soli incumbit Pontifici : hoc inquam quod pr̄dicat Sanctus Leo serm. 3. de Anniversa , assump , habentigitur à Christo Apostoli claves , sed per Petrum , habent potestatem ligandi & . soluendi sed per Petrum, vt cñm exordium ab , vnitate proficiscitur & primatus Petro datur , Ecclesia vna monstretur. Sed hęc ex occasio ne sacri ritus claudendi & recludendi portas Sanctas dicta sufficiant, atque ita claudendum est hoc caput, & simul finis imponendus prime huic parti in qua de Iubileo siue anno Sancto in genere egimis; sequitnr nunc pars altera qnę est de Iubileo Quinquagenario.



PARS SECUNDA
DE
IVBILEO
QVINQVAGENARIO.

*Iubileum nulli anno potius competere
quam quinquagesimo.*

CAPUT PRIMUM.



N Hebreorum Iubileus legalis concurrerit cum anno ipso quinquagesimo vel certe cum vnde quinquagesimo seu quadragesimo nono controvuersia est cui verba legis à Deo latæ Leuitici 25. dedere ansam : cum enim ibi dicatur numerandas 7. Hebdomadas annorum id est annos septies septem quæ simul faciunt annos quadraginta nouem ; & tūm subdatur sanctificandum esse annum quinquage-

G

tum, &c. videtur non satis liquere utrum de anno id dictum sit qui sequitur proxime 49. & quinquagesimus verè dicitur, vel potius de ipsomet 49. qui reuera est unde quinquagesimus; tamen habetur inter numerandum pro quinquagesimo quod numerandi initium duatur à præcedenti quinquagesimo inclusuè. Hinc orta inter Tractatores atque etiam Chro-nologos partium distractio, aliis pro verè quinquagesimo, aliis pro unde quinquagesimo eod. q. Sabbathico stantibus; de quib. euidem nihil admodum pronuntiare ausim nisi forte Palænonis Maroniani illud.

Non nostrum inter vos tantas compondere lites.
 Viderint Scripturæ Interpretes quibus id dis-ceptare ex professo incumbit; attamen si & mihi hic quoque nefas sit neutrum, hoc est nul-larum partium subsistere, adducar facile vt iis accedam qui de anno propriè & verè quinquagesimo accipiunt, quos & plures, & pluris esse apparet, videre que est apud Serrarium in cap. 3. Iosue q. 14. tametsi porro, vt cumque res se habeat, perinde mihi nunc sit: cum semper maneat Iubileum legalem Hebræorum haben-dum quinquagenarium, & ita notari & nume-rari vtrius soleat.

Quare vt quod nostri propriè est instituti hic exequamur; de nostris modo Iubileis quæst. sit: cum enim varie variis temporib. celebrari mo-ris fuerit nempe vel centesimo quouis anno vel quolibet quinquagesimo vt primitus; vel etiam 33. vel vti modo fit 25. quæri potest quidnam

ex iis omnib. videri queat commodius & p̄stabilius : sunt quippe sua cuique commoda suæque speciales prærogatiæ de quib. sigillatim omnib. ne longus sim, disputare hic supersedeo. Hoc tantum in præsens definio, cæteris multo præstabiliorē videri quinquagenarium, quod sic comparatione aliorum imprimis demonstro ; & quidem quoniam Iubileos omnes ut nomen ita & exemplum ac specimen ab iis Iudeorum mutuatos esse vel ex ipsa summor. Pontif. testificatione constat ; eos præstabiliores facile dicendos reor qui ad illos veteres Hebræorum proprius accedere videbuntur : huiusmodi autem quinquagenarios esse promptum est ostendere aliorum Antithesi. Nam ut à Bonifacij centenario incipiam, sunt qui propiorem eum multoque affiniorem putent ludis sœularib. seu Tarentinis, quam Iubileis veterum Hebræorum : ut enim illi sœulares dieti quod seculo quolib. videlicet centesimo quoque anno celebrari consuissent, ita & hic centenarius est sœularis dicendus ; ex eius siquidem institutione non nisi anno quolibet centesimo celebrari debuit : mitto alia quæ ipsi in eam rem afferunt, ne videar hinc sacra profanis componere, aut quæ authores parum probabiles hac in re commenti sunt, comprobare. Polydorus certe eo etiam progressus est ut scripserit lib. 8. cap. 1. eum à Bonifac. institutum ut substitueretur ludis sœularib. quos Romæ etiam tūm peragi cum aliqua superstitione moris erat : cui succinit Author Theatri vitæ



hum. dum ait, ut populus Rom. ab inani sæcularium ludorum celebratione abduceretur, à Bonif. institutam Iubilei celebritatem, cuiusque sæculi initio rite obeundam; & Franch. cap. 9. Bonifacius anno 1300. Iubileum ordinavit centenarium non sine maxima ratione; scil. inquit, considerauit centenarij virtutem, hoc enim centenarij numero summa religione prisci vtebantur: ain' vero quos tu mihi priscos narras? subdit; Plato hoc numero est usus ad delendum culpam; hoc eod. usus est Poeta, Æn. 6. Centum errant annos volitantque hæc littora circum. Proh quam hæc Ethnicismum plenis faucib. redolent! egregios scil. Christianorum rituam vindices. Evidem haud libenter facio ut his authoribus fidem adhibeam, qui non verentur rem sacrosanctam, ludos facere, sed hoc à me dictum velim, non ob aliud, nisi vt quam longe ab Hebræorum Iubileis Bonifacianus abscedere usus fuerit apparent: & vero Bonifacius ipse ne videtur quidem eo respexisse dum nec Iubilei ipsum nomen in sua extrau. posuit, quod omnium primus usurpasse comperitur Clem. VI. Quinquagenarij Author.

Quin vt hoc ad extremum adijcam in gratiam huius Iubilei (quem nos nostrorum omnium Iubileorum veluti caput atque Epocham consituimus) dicendum esse & hunc pariter quinquagenarium quod mihi facile concessum iri crediderim; licet enim indictione aut præsumptione verius habitus sit centenarius; reapse tamen, & obseruatione fuit vere quinquagena-

rius quandoquidem anno postmodum quinquagesimo instaurari cum contigit, neve unquam ad centenariam annorum periodum attingeret diuina equidem virgula effectum reor. Cessit igitur Iubileus Bonifacij centenarius, quinquagenario Clementis haud minus sanè dignitatis quam successionis ratione.

Iam Urbani VI. ille 33. annorum ambitu præstitutus, nihil certe habet cum illo veteri Iudeorum commune præter nomen, mitto quod Schismatis tempore institutus fuerit, mitto quod vel nunquam indictus ne dum celebratus traditur, uti Franch. protestatur cap. 9. vel certe per exiguo populorum studio & concursu; fuisse enim summam & incredibilem aduenarum infrequentiam S. Antoninus perhibet ex Boninsegno.

Denique qui restat Pauli & Sixti ad 25. annos restrictus, quid est nisi dichotomus, seu dimidiatus ac veluti semissis quidam Iubileus? Cui ut ipsi eius authores fatentur, sola humanæ mortalitatis necessitas causam dedit: vnde porro intelligas tanquam Iubileorum omnium Cardinem habendum esse quinquagenarium circa quem alij versentur, & ad quem proportione aliqua respectum dicant; ita ut hic unus princeps & primarius sit Iubileus, cæteri omnes vel Iubilei non sint vel non nisi mere analogicos, aut per synecdochen, vel catachresin id nominis referant.

Et vero ut clarius fiat quæ propria ac præcipua sit quinquagenarij ratio Iubileis, addu-

cere iuuat quod à compluribus obseruatum inuenio de Iubilei appellatione, vt enim omittam repetere quod iam ex Euseb. retuli, vocem Hebraicam Iobel significare quinquagesimum idemque valere vocem hanc Iobeleum siue Iubileum ex illa deductam ; cui assentiuutur cum Polydoro non pauci , vt tum docui ; piget namque actum agere : ubique gentium usus primus inualuit ut Iubilei nomen quinquagenerijs omnibus tribui soleat , ita ut qui in re aliqua tempus quinquaginta annorum expleuere ; dici consueuerint Iubilei. Ac primum quidem ut à sacris auspicemur : Sacerdotes quinquagenarij hoc est totos quinquaginta annos Sacerdotio perfundi, apud nostrates & alibi passim Iubilei nuncupantur , atque eo nomine perinde quasi sacris recens initiati essent , nouum , ut vocant , sacrum faciunt , primi illius instar totidemque ceremonijs : vidimus nos huius rei exemplum in uno Sacerdote quem post quinquaginta annos Sacerdotij expletos iuuit nouitij Sacerdotis instar missam ijsdem ac initio ritib. celebrare. Beneficiarij itidem & quicunque choro dant operam , post 50. ann. inibi transactos , Iubilei habentur , priuilegiis gaudent cum primis vacatione & immunitate chori : hocque obseruatur in Monachis siue Religiosis anno suæ professionis quinquagesimo. Quin & apud veteres Hebreos Leuitè quinquagenarij habebantur Iubilei ; Numer. 8. hæc ex usu Ecclesiastico.

Ex Ciiali idem putlicis Doctoribus & Profes-

foribus Academiarum conceditur : Iubilci itidem habentur serui post quam vni Domino per annos admodum 50. iugiter inferuerint ; tunc quippe emancipantur siuntque liberi , & à Dominis liberorum loco habentur. Coniuges item quinquagenarij expleto Connubij anno quinquagesimo diem festum instituent in quo solenni pompa templum adeuntes , sacram synaxin obeunt indeque domum reuersi nuptiale conuiuum celebrant. Denique est & apud Britannos siue Anglos Iubileum quoddam ætatis ex Polydoro lib. 11. maxime apud Principes viros , quo nati annos 50. munificentiae non nihil in vulgus exhibent : vnde Eduard. 3. anno sal. 1300. qui fuit Iubilei quoque Bonifaciani annus , vt vidimus , cum ageret ætatis suæ 50. vt populum demereretur , liberalitatis & munificentiae specimen edere decreuit : post multas ergo magnasque largitiones exhibitas hoc etiam adiecit vt non paucos exules reuocaret , perduellib. parceret , custodias omnes publicas , venia reis data exsolueret , leges aliquot salutares ferret , priuilegia olim à maioribus populo irrogata confirmaret. Eius exemplo idem fecere & alii complures : sed hæc Rhapsodica sunt in quibus non libenter immoror.

Addi tamen placet pro coronide morem hunc Iubileorum non esse usque adeo recentem & auperum ac fortè videtur ; cum extet in quadam Sancti Remigij Epist. illius mentio : si quem iuuat adire locum , inueniet in tom. 1. Conc. Galliæ ex Syrmondo sub Concl. Lugd.

1. Epistolam Sancti Præfulis tertiam ad tres Episcopos, in qua postquam se quinquaginta & tribus annis Episcopum fuisse professus est, Iubileum inde dici se testatur; quod probat moris per id tempus fuisse ut qui annis quinquaginta sedem tenuissent Episcopi, Iubilei dicerentur. Mitto quod haud paulo antiquius est de honesta & honoraria vacatione antiquitus apud Romanos dari solita militibus qui quinquagesimum vitæ annum excessissent: inde enim Veterani atque Emeriti (quod idem est ac Iubilei) nominabantur. Mitto itidem quod in iure nostro spatium 50. annorum sufficit ad excludendum actionem repetitionis amissorum in ludo; intra enim hoc spatium quæ in ludo ultra unum aureum amittuntur, peti possunt; l. fin. cod. de rel. & sump. fun. Simili iure apud Gotthos sortes quæ intra quinquaginta annorum spatium non fuerint reuocatae, nullatenus repetebantur. Mitto alia huiusmodi quam plurima quæ passim apud scriptores occurunt. Vnde porro perspicere est, quod modo agitur, quam propria ac præcipua sit Iubileis ratio quinquagenarij, ut pro synonymis iam pridem haberi coepit sint duo hæc nomina, Iubileus & Quinquagenarius.

De Quinquagenarij institutore.

C A P V T II.

Nemo est, opinor, qui nesciat quod in Iure Canonico inter extrau. communes habetur lib. 5. de pœnit. & rem. cum Bonifacius VIII. saeculi à Christo tertij decimi initium Iubileo consecrasset, idemque imposterum singulis quibusque seculis obseruandum sanxisset, factum tamen postmodo à Clem. 6. vt anno saeculi eiusdem quinquagesimo celebraretur Iubileus idemque deinceps iugiter obseruaretur quinquageno quoque anno; quod hodieque permanet, et si demum contigerit Iubileos forte alios quasi Embolimos & insitios atque, vt ita dixerim, mediastinos interiici: testibus minime est opus, aliquos produxi cap. 3. partis primæ quibus nunc accedit Trithem. in Chron. Hirsaug. vbi sic infinit: anno 1350. Clem. Papa VI. annum indulgentiarum quem Iubileum, Hebraeorum imitatione appellabant, de 100. sicut Bonif. VIII. constituerat, in 50. reuocauit. Cæterum quam fœliciter quantæ omnium approbatione ab eo id factum fuerit nihil attinet dicere: si Villanijo illius temporis scriptori accuratissimo fides, hæc institutio singulari non Vrbis modo quæ id omnibus votis prosequebatur, sed totius Christiani orbis applausu excepta est.

*De rationibus quæ mouerunt Clementem ut
de centenario quinquagenarium ficeret.*

C A P V T III.

IN Extrau. vnigenitus quadruplicem videre est rationem quæ se ad id motum profitetur Clemens. Prima est analogia veteris Iubilei cum nostro; unde præiudicium atque exemplum petit. Altera ob mysteria numeri 50. Tertia supplex obtestatio totius populi Rom. Denique proprius quidam sensus & affectus humanitatis quo se tactum ait dum cerneret ob vitæ breuitatem paucis licere frui Iubileorum commodis, si non sæpius quam semel quolib. sæculo ederentur.

Hæc quatuor ipse met memorat in sua extrau. sic namque ait: attendentes quod annus 50. in lege Mosaica (quā non venit Dominus solvere sed spiritualiter adimplere,) Iubileus remiss. & gaudij, sacerque dierum numerus quo legē fit remissio, censebatur: En præiudicium & exemplum legis Mosaicæ in qua quinquagesimus quisque annus erat Iubil. tum sequitur: Quodque ipse quinquagenarius numerus in Testamentis, Veteri quidem ex legis datione, Nouo ex visibili Spiritus Sancti in Discipulos missione per quem datur peccatorum remissio, singulariter honoratur, quodque huic plura &

grandia diuinorum adaptantur mysteria Scripturatum: en mysteria numeri 50. ob quæ sacro-sanctus semper est habitus; subdit postmodo Clamorem populi Rom. hoc humiliter suppli-cantis & per proprios ac solennes nuntios ad hoc destinatos specialiter orantis: quæ tertia est ratio. Ad extremum se motum etiam causa-tur humanitatis sensu, videlicet. quod propter vitæ breuitatem per paucis evenire cerneret ut va-leant annos centum, quæ Bonifacij Iubilei erat periodus, viuendo emetiri; unde & con-trahendum tempus videretur.

His rationib. succedit & visio quædam cæ-lestis qua se in somnis ad id promouendum vrgeri sensit: refertur à Franch. & aliis ex Alberico Rosate eius temporis scriptore in di-ctionario iuris verbo Iubileus. Annon ergo rationum abundè hic esse videtur ut tandem animum induceret optimus Pontifex ad id exequendum, quod leuiorib. multo de causis fieri ab eo iuste & consultò poterat: nolo nunc has rationes singulas expendere; non queo ta-men quin de duab. primis non solum quia pri-mariæ sunt ac potissimæ sed quoniam multum lucis toti huic quæst. allaturæ sunt, non nihil perstringam; quod totidem sectionib. expedio.

Expenditur prima ratio.

SECTIO PRIMA.

ET si, ut jam docui, Euangelica lege obrogatum sit Rituali Hebræorum legi: manet nihilotamen minus, quod Christus profiterur Math. 5. quodque hoc loco obseruat Pontifex, Christum non tam solutum legem illam quam adimpletum venisse. Id vero non ita accipiendum est ut Christiani obseruare teneantur legem Mosaicam ritualem; de ea namque Apostolus passim ait exoletam esse atque effætam nullique jam usui: data enim ea lex erat usque dum veniret Semen illud Abrahæ promissum, ex eod. Apost. Gal. 3. non ergo hoc ita est accipiendum ut Christus voluerit tralatitios haberi ritus Christianos & mutuatitios, quasi ipse eos è Iudeis desumptos ad nos traduxerit: sed ita ut typum & figuram in rem ipsam contulerit, noctemque in diem, ad effectum promissa renocarit.

Atque hoc est quod SS. Pontifex spiritualiter adimplere ait: nempe littera quæ occidit, in Spiritum vivificantem mutata, & ex carnali lege veteri, noua Spirituali effecta: ritus ergo illos impluisse & consummasse censendus est Christus id exhibendo cuius causa ritus illi erant instituti quodque ritus ipsi adumbrabant; delectuit autem eosd. ead. opera supremam ma-

num operi adinouendo inducendoque nouos ritus initia ductuum nouorum, quibus veterem figuram & delineationem oblini oblitterarique penitus contingeret: eoque puto respexisse Apoſtolum primæ Cor. 10. dum ait omnia Typicos, siue in figuris contigisse Iudeis; sumptu videlicet metaphora, ut non nemo scire obſeruat, a pictoribus ac statuariis aut etiam ab architectis qui egregium aliquod opus molientes primum crassis id ipsum delineant, deinde paucatim elaborando perficiunt donec tandem quod animo conceperant effectum dent: enim vero primum illud specimen Typus dicitur, quasi totius operis designatio & apparatus unde existit ad ultimum operis perfectio & complementum.

In hunc ergo modū Christiani ritus Mosaicis superdueti eos perfecisse & adimplesse censendi sunt: quo etiam referas quod videmus ita tulisse Dei utriusque legis Mosaicæ & Euang. authoris prouidentiam ut inter ritus Christianorum nouos, & veteres Hebræorum mira quædam singularisque existat conuenientia & analogia; quo vel inde appareat, hæc vetera non nisi symbola & tanquam rudimenta quædam nouorum fuisse: quamobrem haud mirum videri cuiquam debet si (quod jam supra parte prima demonstrauimus) Christianorum Iubilei ad veteres illos Iudeorum, licet jam antiquatos prorsus ac desitos respectum aliquem habere dicantur & si Pontifices eorum authores vel instauratores ad illos veteres respexerint, cœu ad quendam

Typum atque exemplum sibi diuinitus propositum quod in opus perfectum ac consummatum ipsi reducerent. Inde videmus plerosque omnes atque imprimis Clem. 6. attendentes quod vetus ille Iub. esset quinquagenarius, religioni duxisse ab hoc numero recedere idque passim contestatos esse non in suis modo diplomatis sed & alibi. Quin & Jacob. Card. Sancti Georg. nepos Bonif. 8. tract. de Iub. cap. 12. docet iure concedi centesimo cuique anno Indulgentiam quia cum 100. bis contineat 50. duplii iure Iubileus est quasi diceret ad 50. Iubileos omnes reduci debere atque ad hunc numerum, ceu ad milliarium illud aureum vias omnes vrbis vndique, reuocandos esse.

Expenditur secunda ratio.

S E C T I O II.

Altera ratio qua se adductum fatetur Clem. vt Iubil. institueret quinquagenarium prompta est è religione numeri 50. quippe quem & vetus & noua Lex sacrū habnit & planè mysticum ob misteriorum vim non exiguum quæ in eum competit: rationem hanc iuuat sic expendere quo eius se vis ac pondus magis & magis prodat. Ac primò omnium quod ipsemet Pontifex insinuat de legis datione, vt loquitur, deque Spi-

ritus Sancti missione , duo indicat mysteria numeri huius 50. vnum Testamenti veteris ; noui alterū. Siquidē & lex antiqua Moysi data vulgo creditur quinquag. die ab egressu ex Aegypto ; & Spiritus sanctus itidem datus est Apostolis quinquag. die à Christi resurrectione : vnde duplex Pentecoste, vetus Hebraeorum & nostrum: illud Hebdomadū quoque festum quod in fine 7. Hebdomadum ageretur , nominatum : eo die panes ē nouis frugibus Deo offerri mos erat ; in illud porro nostrum incidisse receptior vult opinio ; ad hoc ergo utrumque Pentecoste seu Quinquagesimæ festum spectasse Clemenciam nemo non videt, vt inde Quinquagenarij Religionem arguat.

Ad hæc subiungit compendio plura grandia- que esse eiusdem numeri mysteria quæ: cum ipse non detegat , aliqua saltem hic perstringere haud forte videbitur abs re. Quinquagenarij igitur vim nescio quam latentem & occultam commentus est Hugo à sancto Vict. de arca morali cap. 25. quod cum prope sit ut super- stitionem & arithmantiam redoleat non facio libenter ut subscribam : attamen mirum est quam religiose in factis litterie obseruetur: infi- nita sunt huius rei testimonia & exempla; ex ijs pauca hic referre subit: Gen. 6. in dimensionibus arcæ ponitur latitudo quinquaginta cubitorum. ibidem 18. Ob 50. iustos Sodomitis Indulgen- tia conceditur à Deo : Numerorum 8. immuni- tas Leuitarum à ministerijs tabernaculi; diximus supra Leuitas quinquagenarios id priuilegij tu-

lille ut Iubilei haberentur vnde etiam quinquaginta annorum tempus apud Hebræos Scripturæ phrasí s̄eculum vocatur; Exodi 21. de Seruo qui anno sept. liber abire noluit, sed autē perforata remansit penes herum, dicitur; offeret cum dominus Dijs applicabitque ad ostium & postes, perforabitque aures eius fūbula & erit ei seruus in s̄eculum: in Hebræo est Lehola quod nomen significat, vt aduertit Sanctus Hier. ad Gal. 3. Periodum 50. annorum: Holam s̄eculum est Leuitarum. Adde huc 50. siclos argenti quos puellæ stuprator patri dare debetbat Deuteron. 22. Adde totidem ansulas & fibulas quibus Cortinę Tabernaculi necrebatur, Exodi 36. Dan. 3. fornax Babylonica flamas effundebat ad 49. cubitos vt inde intelligi daretur, interpretibus SS. PP. ad vndequinquaginta cubitos porrigi inferorum flamas; 50. autem extra vim flamarum cōsistere: videantur Tractatores huius loci: & haec tenus de Testamento veteri.

In novo totidem reperire est: vnum è multis, Luc. 12. Christus parabolam exhibit de dupli- ci debitore; uno quidem denariorum 500. altero 50. quib. non habentib. vnde soluerent, creditor totum liberaliter condonauit: En Iubilei imaginem in hoc uno graphicè adumbratam. Quare verbum non amplius addam: tu videsis Petrum Bongum lib. de mysteriis numeri 50. & ex eo Lorin. in Psalm. 50. Rhapsodica enim eiusm. piget consecrari. Et hæc attigisse sufficiat ad illustrandū quod à Clem. 6.

de mysterijs quinquagenarij allatum fuit, quo se motum ait ad Iubileum deinceps reducendum è eentenario Bonif. ad quinquagenarium deque huiusmodi institutione Clementina haētenus satis.

*Quod Quinquagenarij omnium maximè
fœliciter cesserint.*

C A P V T I V .

IVbileos omnes quinquagenarios fœlices præ alijs extitisse ex historia manifestum fit: non pigebit, opinor, singulos obiter percurrere relegendō ab usque prima ipsorum institutione quam vidimus à Clem. 6. saeculam Christiani tertij decimi. 50. Nam ut verum quidem sit Bonifacianum qui præcessit non nisi ad annos quinquaginta tenuisse; tamen eum constat neque sub Iubilei nomine neque nisi ad annum centesimum ex mente & decreto Pontificis institutum fuisse; ac proinde centenarium potius, & saecularem habendum esse, quam quinquagenarium. En numero itaque Quinquagenariorum eximimus ut ab Clementino auspicemur qui & institutione & appellatione ipsoque effectu Iubileus quinquagenarius fuit. De hoc mira sane magna perhibent qui de eo sciptisere, Petrarcha imprimis qui interfuit, nec non & accuratus eiusdem

temporis Historicus Math. Villan. lib. 1. cap. 56. quæ omnia ad 3. hæc capita referri posunt: ad Romipetarum & peregrinorum frequentiam, ad eorum dignitatem, atque ad dispositionem optimumque ordinem in eo obseruatum. De primo quidem tantam fuisse ait hominum frequentiam idem Villan. ut numerus iniri minime potuerit: vulgo creditum supra decies centena peregrinorum millia continent concursu Romæ visa, quibus tota vrbis amplitudo & viarum ac vicorum laxitas par non fuerit adeo ut elidi & exanimari in turba aliquos contigerit. Incredibile autem vel certe mirum videatur quod de tanto hominum couursu dicitur cum per id tempus & Pontifex Romæ non esset & cœuissima pestis toto orbe Christiano grassaretur. Iam quod ad dignitatem peregrinorum attinet, ex eodem Villan. lib. 1. cap. 29. Ludo- uicus Hungar. Romam peregrinatus est ad Iubil. ibique magnifice habitus cuncta rite obiit consequendis Iubilei indulgentijs & gratijs necessaria, pedes Apostolorum Basilicas sæpè lustrauit, in æde principis Apostolorum quotidie rei diuinæ operam dedit nullique pie- tatis officio defuit, ad Saluatoris aram Pontifi- cia authoritate lustratus expiatis omnibus ani- mæ noxijs; 4000. nummūm aureorum aris ob- tulit multaque ingentis pretij donaria adiecit. Ex Bzouio tom. 14. Annal. Eccles. an. Do- mini 1350. Sanctarell. scribit tract. de Iub. cap. 1. dub. 6. ad hunc Iub. venisse sanctam Brigit- tam vna cum Catharina ipsius filia quod sumpsit

ex Surio in eius vita tom. 4. cui Card. Veron. praeiuit in Iub. Clem. 8. Tertium denique quo commendatur hic Iubil. est ordo & rerum omnium dispositio qua usus est prouidentissime SS. Pontifex cum enim procul ab urbe ageret, solertissime per 3. Cardinales Legatos sapientissimos prouidit ne quid ex sua ipsius absentia cueniret incommodi: quod ita strenue fœliciterque curatum est ut in tanta hominum diuerfarum nationum & conditionum colluuie, nihil turbarum rixarumque extiterit; pro re annonaaria cuius summam difficultatem exinde fieri necesse erat; ita sedulo prouisum fuit, ut miraculi loco habitum sit, nedum quicquam ex hac parte desideratum ut potius (tanta erat nimurum annonæ & alimentorum copia) quo plus hominum esset, plus alimentorum suppetere videtur: eademque fuit ratio rerum aliarum venalium. Nec dispar in prohibendis viarum periculis cura aduersus Latrones praesertim qui vias omnes obsederant, & in peregrinos grassari consciuerant, sed eorum grassationibus prouide itum est obuiam: vnde factum ut tutis itineribus incedere ac peregrinari licuerit omnibus, nullusque Sathan aut occursus se malus obiecerit.

Iubileus alter quinquagenarius fuit proxime sequens initio saeculi 14. à Bonifacio nono celebratus, nam licet iam antea sub annum superioris saeculi nonagesimum ex Urbani 6. Constitutione, vti diximus, ad triginta tres annos Iubilei tempus restrictum fuerit: vero tamen pro-

pius est nunquam indictum , ne dum saeſſe ali-
quādo obſeruatum, hic ergo proximus Clementino habendus quem nonnulli indictum & pro-
mulgatum negant , ſed factum aiunt ut ex con-
ſuetudine multi vndique Romam conuenient
ad Iubileū pro eo ac ſolenne erat ſingulo ineun-
te ſeculo fieri : Victorell. teſtatur ſe diligenter
quaſiſſe in regeſto Bonif. nihilq; de eo compe-
riſſe : ſunt tamen ē contraria qui à Bonif. indi-
ctum velint . Ut vt ſit magna hominum fre-
quentia celebrari contigit deque eo dici non
inſcritē potest quod Spond. obſeruat , in cum
incurriffere omnes præcedentium Iubileorum
inſtitutiones nempe Bonificianam 100. anno-
rum , Clementinam quinquaginta & Urbani-
cam triginta trium , quæ duco à prima Iubilei
inſtitutione initio , in hunc annum opportune
incidebat . Hinc forte acciderit quod Scriptores
illius temporis miraculi loco habendum cen-
ſent , ut præter omnium expectationem ingens
hominum concursus Romam factus ſit ; quo
tempore & dirum Schisma Eccleſiam & ſæua
peſtis Italiam vexabant : ſed præ his Christianorū
pietas fuit ; itum enim est Romam ca-
teruatin vndique nulla diſcriminum aut incom-
modorum ratione habita : nec porro obfuit quod
remotioribus aliquot nationibus ut Iubileum
penes ſe agerent permitti placuit . Interim Deus
fidelium votis & pietate motus Christianorū
hostes interſe cominiſit ; Tartaros enim immiſit
in Turcas , tanta armorum ac furoris vi ut to-
tus oriens concuſſus ſit ac demum Baiasetes

Turcarum Imperator à Tartaro victus captusque & in caueam ferream inclusus feræ instar circundatus velut in triumpho ad ostentationem vanitatis humanæ exemplo docuerit quod monet Ecclesiastes cap. 5. quia excelsior est alius, &c. Tertius alteri proximus, nondum enim Clementinæ institutioni obrogatum fuerat, anno 1450. à Nicol. 5. celebratus est, quo tempore Italia omnis occasione Mediolanensis principatus bello æstuabat, Hispania seditionibus ob Aluarum Lunam Regio fauore abutentem usquequaque turbata; interque Gallos & Anglos internecino vigete bello, nec non & in Germania Marchiones inter Brandenburgicum & Nuremburgensem: adde his grassantem pestilentiam, his tamen non obstantibus tantus fuit concursus Romipetarum ex omni natione (inquit S. Antonin. testis ocularius) quæ sub cælo est, ut nullus unquam maior visus sit, quod videbatur non caritatem modo, sed etiam famem Vrbi allaturum; at prouidentia Pontificis & præfectorum annonæ ac mancipum diligentia, tam sedulo prouisum est rei annonariæ, ut nihil commeatus rerumque ad viatum necessiarum defuerit. Cæterum inter proceres qui Romanum Iubilei ergo peregrinati sunt recenset Trithemius Jacobum Archiepisc. Treuerensem, & Conradum Episc. Metensem; adfuit & Guill. comes Donglass. Scotorum dynasta potentissimus: memorabile est quod Æneas Sylvius postmodo Pius II. eiusdem temporis scriptor Europæ cap. 21. memorat de

Fridericō Comite Germano jam nonagenario homine flagitioso & neqnam, hoc anno Romam peregrinatum esse ibique perfunctum Iubilei ceremoniis domum remigrasse nullo demum operæ pretio nisi quod inde prouerbio fidem fecit quo dicitur nec hominem, nec equum eò quia Romæ fuit meliorem euadere. Ad celebritatem huius Iubilei non parum contulisse visa est canonizatio S. Bernard. Senensis quæ tunc obtigit nec non & ipsius Pontificis eximia pietas ac zelus ; Platina Author est totum hunc annum ab eo positum partim in obeundis rite stationib. ceremoniisque vnâ cum cœta Cardinalium ; partim in apparanda expeditione sacra submittendisque Paleologo Poloponnesi & Scanderbego Epiri Principib. contra Turcas auxiliis.

Quartus nunc sequitur, at non proximè, si quidem iam à Paulo cœpta erat fieri reductio ad annum quintum & vigesimum quæ obseruari cœperat sub Sixto 4. ann. 75. antè ; at initio proxime superioris saeculi extitit Iubileus hic quinquagenariorum quartus quem triplici quodam nomine ac iure Iubileum dicere liceat, nimurum & quâ saeculi initium tenuit ex Constit. Bonif. Et qua quinquagenarius ex Clem. & qua ab ultimo, 25. annos colligens ex vsu iam recepto : quare haud sane mirum si incredibilis nationum omnium concursus Romæ factus sit, confluentibus ex vniuersis Europæ regnis, turmatim innumerabilibus in dies singulos ; ita ut quandoque ad octingenta millia peregrinorum

numerarentur, quos nec Vrbs capere poterat; vnde sub Dio cōmorari eos oportuit; Iubileum hunc celebrauit Alex. 6. quo tempore Baizates 2. Venetis infensus infestusque adeò, nihil non mouit quo eos oppressum iret; certe per id tempus quam grauiter ac solerter se gesserit Pontifex non solum pro societate belli apud Principes Christianos omni ope vrgenda, sed & parandis mittendisque in eam rem copijs, testantur temporis illius Historici; vigebat tum quoque bellum Mediolanense Ludouicum Mariam inter atque Ludouicum Francorum Regem huius nominis 12.

Quintus qui & penultimus à Paulo tertio decretus atque ab eius successore Julio tertio celebratus in medio sæculi proxime elapsi ab hinc iam annis centum, multa habet notatu digna quæ Victorell. p. 3. memorat: summa est quod cum portam sanctam non nisi 6. Kal. Mart. die S. Mathiæ sacro aperiri contigerit, tamen constituit Pont. Iubilei initium à perwigilio natalis Domini prout assolet, repetendum esse; nec prætereundum silentio quod Stephanus maioris Armeniæ Patriarcha quem Catholicum nominant vnâ cum Archiepiscopo duobusque Episcopis hoc anno Romæ solenni professione fidei orthodoxæ edita, Pontifici Romano obedientia Sacramentum exhibuit, multisque auctus donis in patriam est remissus; sed præ omnibus est quod hoc primum anno sacrosanctum Conc. Generale denuò indictum Tridenti, vnde Tridentinum est dictum, sedem fixit: quo tempore

contra Hæreticos sedulo & seuere cautum fuit, eorum libris tum primo prohibitis sub Anathemate aliquaque pœnis quam Ecclesiasticis, quam Civilibus. Denique ad anni huius commendationem non parum confert Pax tandem inita Gallos inter & Anglos summo cum virtusque gentis gaudio, & Ecclesiæ Catholicæ bono: quid, quod aiunt, ut hoc quoque ad Corollarium accedat, frumento per hoc tempus pluisse in Carinthia ex quo optimus panis confectionis, & Carolo V. Imperatori exhibitus fuit, prodigio utique non exiguo, quoque anni huius dignatio cælitus comprobata videri queat.

Nouissimus restat quinquagenarius sub Clem. VIII. initio vertentis seculi habitus, de quo libellum edidit Aug. Valer. Cardin. & Episc. Veron. quem laudat Spond. (mihi enim videre haud contigit) ex iis tamen quæ alibi legere licuit, facile est quanta Iubilei huius prærogatiua fuerit discernere; est ille quidem serie ac processu temporis ultimus; at dignitate & secundo rerum successu nulli secundum habendum esse si dixero, dicam equidem quod res est; si enim peregrinorum multitudinem species, vix unquam in aliorum aliquo tantam extitisse comperies: nimurum in vita quadam Clementis ad tricies centena millia recensiti, ipsaque unica die Paschatis ad ducenta eoque amplius millia reperiuntur: si amplitudo dignitasque attenditur interfuerere viri Principes non pauci quorum præcipui memorantur Dukes Bauarus, & Parmensis præter Alincurium

Regis Christianissimi Legatum & Comitem Lemosium Proregem Neapolit. nec non & Cardinal. Austrum aliosque primariæ nobilitatis: ex hæreticis, etiam qui vel curiositate dueti, vel diuino impulsu eo se contulere fuit Fridericus dux Vitemburgicus, fuerē & alijs promiscue, è quib. non pauci cum piorum rituum & Sacro-sanctæ religionis majestate tum maximè ipsius Pontificis quem videre erat instar vnius è multis singula pietatis munia & misericodiæ charitatisque opera rite obeuntem, exemplis permoti, hæresin publicè abiuraruunt, vel vna die ad 30. eoque plures, quorum Corypheus & præcentor extitit Arnald. quidam minister Geneuensis teste Georg. Polaccho: Spondan. idem perhibet de Stephano quodam Caluino teterimi illius Hæresiarchæ gentili, per id tempus Romam venisse, ibique hæresim cierasse; optimi Pontificis beneficentia aliquandiu usum, tandem sacrum Carmelitarum discalceatorum ordinem ingressum fine optimo vitam clausisse: sed & Turcos aduenisse ferunt quorum aliqui Christo nomen dedere & baptismo initiati sunt; nec sanè mirum quandoquidem id temporis Roma non jam Romuli ut olim sed Christianæ pietatis ac sanctimoniacæ asylum excipiendis subleuandisque miseris mortalibus effecta, in eam rem nulli parcebat operæ aut sumptui: nec Pontificis modo eluxit charitas, & munificentia, sed purpuratorum Patrum aliorumve ordinum pene omnium, ita ut cum iam præ nimia Romam vindique

affluentium copia, non vna vrbs sed orbis compendium, vel certè in vnam vrbem orbis totus commigrasse videretur, nullus tamen inuentus fuerit qui sibi quicquam eorum quæ ad victimum vel hospitium usus erant defuisse aliquando conquestus sit, sufficientib. largè omnia Romanis maximeque Pontificiis prouisorib. ita celestis ille ac liberalis spiritus ergandæ per honesta pecuniæ cupiens, omnium animos manusque incesserat; sub Clemente nimirum Pontifice par fuit in vrbe Pontificia dominari Clementiam: sed non ipsa modo Clementia Pontificis omnium in se oculos animosque conuerterat, accedebant & aliarum pæne omnium virtutum exempla quibus mirifice Opt. Pont. se spectabilem præbuit, dum quotidiè cerneretur pedes Ecclesias lustrare, stationes abire, supplicationibus interessc, & quod mirabilius fuit non raro accumbentibus peregrinis ministrare, eorum pedes proluere, aures præbere consitentibus; quid plura? eant nunc qui Antichristum Papam esse pronuntiant; hæccine Antichristi sunt Elogia? nec demum eo se continuir Pontificis max. zelus & charitas, ad ciuilia quoque processit: supra vidimus pacem eius opera factam inter Regem Christianiss. & Ducem Sabaudiæ: secuta est pactio nuptiarum Mariæ Mediceæ cum eod. Rege tam fœlicis successu vt deplorata jam fere res Gallica inde cœperit efflorescere, exortis ab ea radice Principib. iis qui hodieque rerum fœliciter, pacificeque potiuntur, deque postre-

mo hoc Iubileo haec tenus satis.

Noster nunc proxime sequitur Quinquagenarius nam qui intercessit abhinc viginti-quinque annis Vrb. oct. quinquagenarius non fuit, ut patet: quid porro futurum sit hoc nostro in genib. diuorum est, equidem Propheta non sum, nec vaticinari unquam subiit animo, diuinare enim & ventura proloqui semper supra hominis sortem esse duxi; quanquam si qua forte sint quæ coniectura & opinione assequi liceat, non omnino ab homine alienum putem. Et vero spes inde sæpenumero non inanes & irritas concipi à nobis contingit, quamobrem ut nihil in præsens vaticinationi detur; certe non leuis spes est atque animi præsensio ut res jam habent, fore Iubileum hunc maxime omnium fœlicem & fortunatum atque ut jam Sanctiss. D. N. in sua inductione auguratur idoneum reconciliandis dissidentium Christianorum animis, bellorumque tumultibus, sedandis, æternæque paci sancientæ, annum sanctificationis, tempus acceptabile, comparatum omnino ad diuinum numen placandum, ad S. Ecclesia exaltationem, & tranquillitatem promouendam, heresum faciendam extirpationem, procurandumque solatium & leuamen populorum. Has spes ut non vanas falsasue credamus facit non tam quæ ex coniecturis atque ex prognosticis ducitur præsumptio, quam vel ipsius SS. Pontificis Sponsione, vel certe ex diuina benignitate concepta animo fiducia; quidni enim de hoc anno mihi fas sit canere Dauidicum illud Psalm. 64. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.






PARS TERTIA
DE
PRÆROGATIVIS
IVBILEI
HVIUS INVENTIS



VBIΛVM auspicamur, Deo vt spe-
ramus propitio, de quo dici iure
queat nullum fuisse vñquam in spem
maiorem indictum, & plurib. præro-
gatiis & commodis potiorib. spectabilem: siue
quâ quinquagesimus est, siue quâ septimus ex
quinquagenariis, siue ob complures circumstan-
tias rerum ac temporis, de quibus deinceps in
hac parte agendum superest: sed vt rite auspi-
cemur, ab ipsa eius inductione exordiri conuenit.



INDICTIO VNIIVERSALIS IVBILEI.

A N. S A L. H V M.

M. D C. L.

*INNOCENTIVS Episcopus seruus seruorum
Dei, vniuersis Christi Fidelibus præsentes
Literas inspecturis Salutem &
Apostolicam benedictionem.*

APropinquat annis continuis expeti-
tus Bonorum votis ; Annus sanctifica-
tionis atque Indulgeutie, annus à partu
Virg. quinquagesimus supra millesimum
sexcentesimum. Ad quem in hac vrbe sanctitatis
Regia celebrandum ex veteri Ecclesia ritu quem
Bonifacius Papa VIII. b. m. intra seculi spatium
sive institutor sive instaurator inclusit ; ac alij deinde
Pontifices prædecessores nostri in breuiores annoram
circulos, quo plures fruerentur, Iubilei solemnia rede-
gerunt : Nos eadem fulti authoritate, &c.

Vos acceptabili hoc tempore non vt olim
tubis clangentibus & Hebræorum populum
excitantibus ad recolendum annum ab egressu
filiorum Israel ex Ægypto quinquagesimum,
annum Iubilei ac remissionis libertatisque cap-

tiuorum, hæreditatum ac possessionū sed ipsius altissimi filij voce compellamus qui primus per sanguinem suum euangelizauit mundo Iubilei annum clamaus per ora prophetarum ad annunciatum mansuetis missum se ut medeatur contritis corde, vt prædicet captiuis Indulgentiam & clausis libertatem & annum placabilem Domino. Audite hæc, omnes Christi sanguine redempti, intrate exultantibus animis portas eius, haurite cñm Iubilo de fontibus Saluatoris, &c.

Inuitat vos Sanctorum apertione Portarum ciuitas hæc Sacerdotalis & regia, hæc Petri sedes & fidei petra, hæc magistra Religionis, vineæ Domini turris, communis omnium patria & commune perfugium. Hic aperto spirituali ærario diuinitæ meritorum Christi, SS.q; in Ecclesiam congestæ, in hac plenitudine temporis pleniore in omnes manu dispensantur & referatis cæli foribus cælestium benedictionum manna in Christi fideles abundantius pluit. Inuitant vos trophyæ Apostolorum tantæ apud omnes Gentes ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio venerationi semper habita ut ex longinquis mundi partibus ad ea venientes quamvis viderent vigentibus Imperatorum persecutionibus detegi se per eum cultum & tanquam Christianos obseruari atque adeo mortis discrimen adire; non tamen à sacris peregrinationibus absisterent; ac plures ob eam causam Martyrij palma decoraret: hæc sunt illa Apostolorum sepulcræ, &c.

Vos Principes ac Reges qui vexillum Crucis in fronte gestatis, vos filij promissionis, Gens sancta, populus acquisitionis; vos qui timetis Deum, pusilli ac magni vno omnes ore offerte in templum eius sacrificium laudis & condonatis inuicem offensionibus in anno remissionis ac pacis, abjectisque tandem armis quæ cum funesta Christiani sanguinis effusione nimis jamdiu exercentur, ad communem hanc credentium matrem, ex qua lac fidei omnes pariter suxistis, fraternis ac Iubilantibus animis conuenite, &c.

Hæc igitur nos in votis habentes Romano-rumque Pontificum prædecessorum nostrorum vestigiis insistentes & eorum pium ac saluberrimum institutum retinentes, de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium assensu Iubilci celebrationem in annum proximum M. D C. L. à primis desperis Vigiliae Nativitatis Domini nostri I. C. proximè future inchoandam & per totum annum ipsum finiendam autoritate Dei omnipotentis & B.B. Apostolorum Petri & Pauli ac nostra, quanto maximo possumus animi gaudio: Ad ipsius omnipotentis Dei Gloriam; s. Ecclesiae exaltationem & tranquillitatem; Heresum extirpationem; Catholicorum Principum concordiam; Christianorum omnium populorum solatium & sanctificationem, indicimus & promulgamus.

Qua' sanctiss. Iubilei celebratione durante omnibus Christi fidelibus vere penitentibus & confessis qui ss. Petri & Pauli basilicas, Lateranensem quoque ac s. Mariae maioris alma Vrbis Ecclesias semil

saltem

saltem in die per 30. dies continuos aut interruptos
si Romani vel incola Urbis; si vero peregrini aut
alias externi fuerint, per 15. saltem dies deuote visi-
tauerint; & pro ipsis Fidelium ac totius Christi
populi salute, pace & concordia piis ad Deum
preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum
Indulgentiam remissionem ac veniam misericordias
in Domino concedimus & impartimur. Et quoniam
euentre potest ut ex iis qui hac de causa iter aggressi
fuerint, vel ad Urbem se consulerint aliqui in via
aut etiam in ipsa Urbe, morbo vel alia legitima causa
impediti, aut morte praeuenti, præfinito dierum nu-
mero non completo, ac ne quidem fortasse inchoato,
præmissa exequi ac Ecclesiæ & Basilicas huiusmodi
obire nequeant; nos piæ promptaque illorum volun-
tati, quantum in Domino possumus, benigne fauere
capientes, eosdem vere panisentes & Confessos præ-
dictæ Indulgentiæ ac remissionis participes perinde
fieri volumus ac si Ecclesiæ & Basilicas prædictas
diebus à nobis præscriptis reipsa visitassent.

Vos autem venerabiles Fratres nostri, Patri-
archæ, Primates, Archiepiscopi & Episcopi in
partem sollicitudinis nostre vocati sumite tubas
argenteas quarum usus est in Jubileo; adhibete
prædicationem Verbi Dei & prænuntiate po-
populis gaudium magnum & sanctificantur, &c.

Nam si unquam alias nunc potissimum iræ,
rixæ & contentiones & inueterata odia dimit-
tenda propter Christum; nunc maximè seruos
decet misereri conseruorum suorum ut Domi-
nus clementissimus omne debitum dimittat eis;
nunc præcipue omnes earnis impuritates abluen-
dæ, &c.

Docete eos quemadmodum ad salutares Indulgentias consequendas in animo contrito & in spiritu humilitatis assiduis orationibus & ieuniis, cæterisque pietatis operibus seipso preparare atque exercere debeant & qui substantiam huius mundi habent, aperiant viscera sua & fratrum suorum pauperum inopiam subleuent: præcipue vero erga Peregrinos Romanos venientes misericordes sint & sanctam hospitalitatem Deo gratissimam, quam vetustissimi illi Christiani etiam inter persecutionum fluctus diligentissime coluerunt; ipsi quoque multa cum hilaritate spiritus renouent atque obseruent, faciantque sibi amicos de mammella iniquitatis ut recipiantur in æterna tabernacula. Admonete etiam eos ut orent pro Regibus & Principibus Christianis ut tranquillam & quietam vitam agamus, ac pax & concordia perpetuò conseruetur, &c.

Postremo docete eos cum Sanctam peregrinationem susceperint, qua modestia, qua deuotione, qua fraternæ pacis obseruantia connecti eos oporteat, ut sint Christi bonus odor in omni loco. Praebete autem vos ipsos, Fratres venerabiles, & omnem Clerum exemplum imprimis bonorum operum & formam gregis, ut vestre virtutis ac religionis veluti sale cœteri condiantur & omnem peccati putredinem abhorreant, & denique omnes unanimes in uno Spiritu Christianæ charitatis atque in omni sanctitate & iustitia Deo seruiamus.

Hortamur quoque & rogamus in Domino

charissimos in Christo filios nostros Imperato-
rem electum ac Reges & Principes omnes
Catholicos, ut quò plura & magis illustria be-
neficia ab eo per quem Reges regnant, acce-
periat; tanto ardenter, vt par est, ad Dei glo-
riam procurandam pio zelo excitentur: præ-
cipue vero Fratrum nostrorum Episcoporum
& superiorum Antistitum pastoralem sedulita-
tem & vigilantiam adiuuent & à suis magistra-
tibus ac ministris adiuuari mandent, vt impro-
borum licentia coercentur & Bonorum studia,
eorum regia ope & gratia foueantur: maxime
autem erga Peregrinos beneficentiam & libe-
ralitatem exerceant, curentque vt tutis ince-
dant itineribus & nulla hominum perditorum
vexatione perturbentur; sed hospitilibus do-
mibus & publicis hospitiis amanter excepti &
commeatu rebusque ad vitam necessariis recrea-
ti, sine vlla concussione & iniuria institutum
iter leti peragant & cum gaudio in patriam
reuertantur, &c.

VI Vero præsentes literæ ad omnium Fidelium qui
buscunque locis existentium notitiam facilius perve-
niant, volumus earum exemplis etiam impressis,
manu Notarii publici subscriptis ac persona in digni-
tate Ecclesiastica constitutæ sigillo munitis, eandem
prorsus fidem haberi quæ haberetur iisdem præsentis-
bus si exhibitæ forent & osensem. Nulli ergo omnino
hominum liceat hanc paginam nostræ indictionis,
promulgationis, concessionis, impariutionishorta-
tionis, rogationis & voluntatis infringere vel ei
ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare

præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac
B.B. Petri & Pauli Apostolorum eius se non erit in-
cursurum. Ditum Roma apud S. Petrum anno
Incarn. Dom. 1649. tertio idus Maij, Pontificatus
nostrri anno quinto.

Die 13. Maij in atrio Basilicae Principis Aposto-
lorum publicata, ad valvas eiusdem Basilicae affixa
fuerunt & postea publicatae in Basilica S. Pauli &
in Ecclesia Lateranensi & S. Mariae Mai. ad earun-
dem valvas affixa fuerunt; prout similiter ad valvas
Cancellarie Apostolice & aciei campi floræ dimissis
ibidem copiis, ut moris est, per Cursores Pontif.

PRÆROGATIVA PRIMA huius Iubilei

Quod sit Quinquagenarius.

CAPUT PRIMUM.

QVINQUAGENARIUM esse Iubileum hunc
palam est, & quidem quam quem ma-
xime: cum non eo tantum quia perio-
dum quinquaginta annorum ter-
minat, habendus sit eiusmodi; (hoc quippe
modo & qui initio saeculi accident, quinqua-
genarij habentur:) sed quod in annū propriè ac
præcise quinquagesimum incidat & sub notam
numeri quinquagesimi referatur; vt vel inde

germanus & præcipiuus quodammodo quinquagenarius dici iure queat. Hoc nomine non parum commendabilem videri facile intelliget quisquis meminerit dictorum antea in cōmendationem Iubilei quinquagenarij quæ huc referri attinet omnia. Diximus itaque illius proprium esse ut per antonomasiā Iubileus dici soleat ; vt primitius & cæterorum norma ac quasi lapis Lydius habeatur ; vt propior sit atque affinior Iub. veteri Hebræorum , unde Iubileorum omnium typus atque exemplum sumitur ; vt primus omnium apud nos atque in Pontificum diplomatis Iubilei nomen retulerit : vt denique facilè omnium fœliciss. semper fuerit, sortitusqne successus longe optimos, Deo illi nescio qua benedictione extraordinaria fauente. Hæc igitur omnia cum Iubilei omnis quinquagenarij sint, in hunc pariter competere suo iure eique' adiudicanda esse nemo non videt.

PRÆROGATIVA II.

*Quod sit Quinquageniariorum ordine
& numero septimus.*

CAPUT II.

TRecenti iam anni præcisè exacti sunt cum à Clem. vt vidimus, Iubileorum tempus ad 50. annos reuocari contigit ; igitur 6. inde ad nos usque intercesserint,

necessè est : quorum primus is fuit qui ab ipso Clem. est editus anno salutis humanæ 1350.

2. Qui à Bonif. 9. ann. 1400.
3. Qui à Nicol. 5. ann. 1450.
4. Qui ab Alex. 6. ann. 1500.
5. Qui à Iul. 3. ann. 1550.
6. Qui à Clem. 8. an. 1600.

Noster septimus est : quo nomine omnium facile potissimum ac Principem quodammodo habendum esse aio ; atque in hanc modum demonstro.

Cum tota Iubileorum ratio primitus ex divina dispensatione à Septenariœ Religionem accupetur, ut vel ex ipso Script. textu videre est Leuit. 25. Numerabis tibi 7. Hebdomadas annorum , id est septies septem , &c. Quemadmodum sub septimum ann. sabbaticum Iubileus cadebat; ita & septimi Iubilei præcipua quedam sit Religio oportet. Mirum namque est quanta fuerit Septenarij apud Hebræos Religio ex Dei ipsius nutu atque consilio : exempla passim obvia videre est in sacro contextu, vel in ipso Gen. lib. assatim : nam ut de Sabbathi Religione sileamus , quæ mox recurret; quid sibi vult illud Capitis 4. de seprupla punitione eius qui Caino necem intulerit; quodque postmodum subditur de Lamecho , septuages septies vendicatum iri in eius imperfectorem ? Certè nescio quid mystici hoc numero designari , Interpretum est omnium mens. Cap. 7. Noë jubetur ex animalibus mundis septena & septena in arcam inducere & tantumdem volu-

crum: ac tum post septem dies cœpit diluuium; quo tandem finito Columba septimo post die emissa, iterumque totidem post diebus remissa: an non mysterij hic quippiam latet? De Iacobo Patriarcha nonne eodem lib. traditur; septem annorum seruitio Liæ primūm, iterumqne aliorum totidem, Rachelis mercatum esse nuptias. In Iosephi itidem Patriarchæ historia de vaccis septem bene habitis, ac totidem male; totidein annorum quâ fertilitatem, quâ sterilitatem adumbrantibus. Ios. 6. præscribitur definitè ad Ierichuntinam expugnationem ut primo Sacerdoles septem cum totidem buccinis: dum dies quoque septem cum totidem ipso die septimo circuitionibas, adhibeantur. Olenit hæc profecto mysticum nonnihil; sed multo magis quæ dicturus sum ex Hebræorum sacris ritibus in quibus magnam Septenarij habitam esse rationem proclive sit ostendere.

Primum enim quanta fuerit apud eos Sabbathorum Religio, qua septimi cuiusque diei cultus sciscitur, nemo est qui nesciat. Huic proxima est septimi cuiusque mensis; de qua ex Iosepho libro Antiquitatum 3. & Origene super Numer. Polyd. lib. 8. cap. 1. sub finem: sed omnium facile augustissimum quod Leuitici 25. fertur: primūm quidem de anno quolibet septimo, siue Sabbathico, ut dici placuit: ac tum de eo qui Sabbathorum siue septenniorum septimum proxime excipit qui quinquagenerius & Iubileus fuit: Næ si hæc vacant mysterio, quid mysticum in toti re Iudaica dici pos-

sit equidem non video : id autem omne ad septenarium referri constat. Certe Petavius qui Iubilei periodum præcise septem annorum hebdomadibus, sive vndequinquaginta annis circumscriptam vult, nulla potiori ratione eo ducitur quam quod Deus Opt. Max. septenarij magnam semper ratione uiderit, vnde septimum quemque diem peculiari Religione consecravit itemque septimum annum celebrari voluit ac proinde eadem lege septimum hebdomadis septimæ sacrum & solennem fecerit. Ita ille : ex quo & nos pati iure dixerimus Iubileorum septimam quemque Religiosorem, & vel hoc uno commendabiliorem videri.

Accedit & aliud huic astine, quod hoc quoque referri placet ; nempe Iub. hunc non modo quinquagenarios inter septimum ordine recenseri, sed etiam omnium quotquot faere unquam antea ab institutione prima, decimum quartum, hoc est bis septimum inueniri ; cum enim, ut supra ex Victorello retuli, duodecim Iubilei fluxerint ad ultimum usque Urbani 8. qui fuit decimus tertius, sequitur modo nostrum hunc habendum esse quartum decimum, sive bis septimum ; ac proinde si qua vis aut Religio inest in septenarijs omnibus pro ut nunc dicebam & grauissimorum doctissimorumque authorum fide confirmatur, quid tandem de hoc Iubileo existimandum ? in quem septeniorum genus omne concurrit ; qui nempe ad id quo Iubileus fit videlicet septenniorum hebdomas, sive septennia septem, quod præ alijs

habet ut quinquagenarius est; insuper & hoc peculiare habet quod & quinquagenariorum sit septimus, & Iubileorum generatum omnium sit pariter quartus decimus siue bis septimus, mirabili prorsus accidentia.

Quare si qua fides optimis maximisque Authoribus qui paradoxa de septenarij energia & dynami nescio quæ commenti sunt, plane consequens est ut de Iub. hoc mira nobis magna policeamur quem constare & coalescere ex omnimoda septenariorum ratione videamus. Iarchas Apollonio Tyaneo apud Philostratum annulos septem dono dedit quibus florem ætatis ad supremam usque senectutem illibatum seruarat: creditum est fabricatos fuisse accommodate affecteque ad septem planetas; sed ludicra sunt hec & præstigatoria. Quid fas sit creditu de nostro hoc anno nunc non dispergo. Certe magnam in eo inesse vim ad pietatem & resipiscientiam facile ab Orthodoxis creditur.

De Iub. vetere Mosaico ob septenarij ex quo consurgit Religionem, mira nobis non Rabini modo sed & SS. PP. & probatæ fidei Scriptores prædicant. Adeundi imprimis si vacat, Philo de opificio mundi, Ioseph. lib. Antiquitatum tertio; Orig. super numeros, Cyprian. de exhor. martyr. & lib. primo aduersus Iudeos cap. 20. S. Greg. in Job lib. 35. cap. 6. denique Petrus Bong. de num. mysterijs: qui quidem pro sensu & affectu quisque suo, varie interpretantur. Francisc. Vales. de sacra Philosophia, cap. 21. Deus, inquit, Iubileum per septem se-

ptennia descripsit, apposite ad annos Climactericos id est scalares qui singulis septenniis clauduntur puta, 7. 14. 21. 28. 35. 42. sed maxime 49. & 63. hoc quidem quod ex 9. illo autem quod ex 7. septenariis fiat: igitur in hac scansioni & climacterica temporis ratione, gradus & scalæ sunt septennia, in quibus singulis insignes in quovis homine ætatis & vitæ mutationes accidunt, multosque morbo tentari, quin & morti vsu venit.

Sed hæc Medici interpretatio est: alij paulo aliter philosophantur. Omnia tamen communis sententia hæc est, in septenario vim quandam & religionem inesse. Vnde, Authore Macrobi, Heptas apud Græcos dicta quasi septem & nostrum septem quasi Sebaste, hoc est augustum & Religiosum: vide primum ipsius lib. in somnium Scip. cap. 6. & si plura de huius numeri mysterijs nosse aues, Agellium noct. Attic. lib. 3. cap. 10. & ex ipsis Ratematum Bapt. Egnatij cap. 21. tom. Critic. 1. sed maxime omnium Serar. in cap. 6. Ios. q. 28. permulta eruditè suo more congerentem.

Etenim cum hæc Rhapsodica sint & tralatitia, piget in ijs moras necesse: redeo itaque illuc vnde digressus sum, ad nostrum scilicet. Iub. multiplici septeniorum complexione nobillem; de quo iure dixeris, pro coronide & corollario quodam habendum esse; quo nimis modo hebdomadis, seu septimanæ dierum, coronis quædam Sabbathum est siue ex vsu Christiano dies Dominica; atque iterum Hebdoma-

dis Sabbathariorum , seu septenniorum ipse Iubileus : quidni enim uero eodem modo qui Iubileorum hebdomadem claudit ; nec vnam modo , sed , vti explicuimus , duplicem , pro coronide , aut etiam corona Iubileorum haberi dignus sit. Certe Septenarium in orbem actum coronam annorum facere. maximorum est Interpretum qui illud Ps. 64. Benedices Coronæ anni benignitatis tuæ ; cum SS. Basil. & Theodoreto , non nisi de anno remissionis , siue Iubileo Hebræorum ad literam enarrare sustinent : vnde Lotinus ad nostrum quoque Iub. transferre & aptare non dubitat , cum in hunc versum sic ait : Nec inepte cuncta quæ hic dicuntur ad ann. Iub. Christianum possunt accommodari in quo benignitatis thesauri largius aperiuntur ; campi conuenientium in urbem vndique nationum , vbertate operum bonorum replentur ; pinguescunt speciosa deserti , hoc est peccatores gratiæ priùs restituti euadunt per pœnitentiam ad fructificandum Deo apti , exultatione colles accinguntur , dum iusti etiam & probi alacriores eodem conuolant ; induuntur arietes oniū , idest , Ditiōres & viri Principes , lana misericordiæ , vel qui etiam aliis præcelere videntur , meritis & satisfactionibus Christi atque SS. se tegunt ; valles abundant frumento , netmpe cum copiose subuenitur , egentib. aut magno concursu plurimi usurpant Eucharistiam ; postremo clamant omnes & hymnum dicunt , ex urbe templum efficiendo & per omnes plateas diu noctuque cum diuinis

, laudib. publice procedēdo: Ita ille, haud inepta, vt ipsemet non temere gloriatur, paraphras: quā hīc apponere non piguit quod mirifice hoc conferat, & digna sit quæ huic capiti coronidem imponat; cum ex ea planum fiat inter Iubileos qui sunt anni Benignitatis diuinæ, inueniri aliquem cui competit coronam appellari & eum fore ex mente Regij vatis cui Deus benedicturus sit aliquando; quod in nostrum hunc cadere, quidni sperare fas sit cum & constare eum numeris omnib. mysticis & Iubileorum sine annorum benignitatis diuinæ quandam veluti coronau habendum esse merito, ex dictis nemo non facile intelligat.

PRÆROGATIVA III. &c.

*De Anni huius opportunitate commoditateque
ad Iubilei fructus percipiendos.*

C A P V T III.

Quod est in veteri verbo quo dicitur, annum ferre non agrum, habet quidem locum maxime in re rustica agrorumque cultura, vbi experientia comper-tum habetur non tantum momenti esse ad prouentum in ipsa soli natura aut labore humano, quam in ipsa tempestiuitate seu in bona asse-

etione atque habitu congruo tempestatum anni:
Etenim, ut sciunt rusticorum pueri cum imbræ
aut se: enitas cæli , & æris temperatio atque id
genus alia, tempori accidentunt ; cuncta profecto
felicius atque uberior prouenire constat. Ate-
nim vero, si fas sit id verbi ait orsum traducere,
non intempestiuiter in rem nostram accommo-
dari posse videtur , vt de anno Iub. recte
dicatur annum esse non agrum qui ferat quid-
quid est saceroram prouentuum : & quidem quo
annus opportunior & tempestiuor extiterit, eo
etiam plus fructuum plusque utilitatis & emo-
lumenti allarurum ; iam certe Iubileum ex pro-
batiss. Authoribus dictum uidimus quasi annum
germinantem & fructuosum sive frugiferum, à
themate labal quod fertilem esse & lætas segetes
ferre significat. Id vero cum videri possit anno-
rum omnium Iubileorum commune , quomo-
do præsentis anni sit proprium ac præcipuum,
nunc porrò videamus ; Spes alit agricultas , in-
quit ille , & nos quoque in spem venimus fore
hunc annum summe uberem & bonorum spiri-
tualium ac cælestium copia redundantem; nem-
pe multa suppetunt prognostica quæ nos spera-
re jubent quam optime, quib. percurrentis Se-
ctiones aliquot sequentes dabimus : sed prius,
cuiusmodi qualesue hi sint fructus quos ex huius
anni prouentu sperare conuenit , dispiciendum
est.

Iubilei fructus innumerabiles esse sciunt
omnes qui eius institutum & rationem probe-
norunt. Etenim cum thesauros Eccles. infinitos

esle constet, vt pote ex infinitis Christi meritis & satisfactionib. coalitos; hique omnes Iubilei tempore pateantur. Consequens est inumeros fructus ex Iubileis posse colligi: eos tamen omnes ad duo capita reduci placet: nempe ad Priuatos cuiusque, puta quos vnicuique summ. Pontifex Iubilei beneficio comparandos proponit, cuiusm. sunt Indulgenciæ, remiss. & gratiæ, cæteraque id genus priuilegia quæ in ipsa indictione declarantur: hos fructus Priuatos dici placuit comparatione aliorum qui communes ac publici sunt, quoniam ad publicum & commune bonum spectant & pro vniuersali fine, Iubileis præstituti habentur, quo sit ut pro rerum ac temporis varietate & ipsi varient: & quidem S. D. N. ad quinque retulit: nempe,

1. Omnipotentis Dei gloriam.
2. Sanctæ Eccl. exaltationem & tranquillitatem.
3. Hæresum extirpationem,
4. Catholicorum Principum concordiam.
5. Christianorum omnium populum solatium & sanctificationem.

Hi porro sunt præcipui fructus hornotini huius Iubilei ineuntis, de quibus singillatim deinceps nobis dicendum, si tamen prius non nihil de Priuatis fructibus libauerero.

De summa Anni huius tempestiuitate ad priuatos Iubilei fructus colligendos.

SECTIO PRIMA.

Inter mysteria & diuini arcana Consilij vnum est longe maximum; posse nimirum discernere tempora vel momenta quib. decrevit Deus nobis benefacere & præcipuas ac peculiares gratias impertiri; hoc quippe est quod Christus vel Apostolis denegatum voluit dum Actor. i. eos sic instituit. Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate: quod ex S. August. Epist. 77. non de quibusuis temporib. promiscuè, sed de opportunitis & idoneis ad aliquid, intelligendum est. Hæc porro sunt quæ nos latent & fugiunt quam maxime, cum enim ex diuina voluntate & beneficentia pendeant, eius necesse est sint prorsus arbitrij & beneplaciti: sic passim in Scriptura appellatur: Psalm. 68. Tempus beneplaciti Deus. Isa. 49. Tempus placitum, Hebraice Razzon, quæ vox significat bonam, Dei voluntatem, beneplacitum, fauorem, gratiam: Tempus acceptabile 2. Cor. 6, sive acceptum, quia & Deo acceptum referri debet & propti ipsi visum fuerit, est accipiendum; unde & Annus Domini acceptus; Luc. 4. Annum benignitatis diuinæ, paulo ante ex Psalm. 64. vidimus: quæ omnia Synonymiam sonant,

docentque quod hic quæritur, in vnius Dei nutu esse tempus ad nobis beneficiendum sibi præstituere. Quamobrem haud aliter ac decretorum & consiliorum Dei summa quæpiam est latebra densissimis obducta tenebris in quam mentium nostrarum acies penetrare non valet; ita & temporis seu tempestatis illius cui beneficentiam liberalitatemque suam obligare constituit.

Verum quanti nostra intersit id à nobis minime ignorari sciunt vnâ mecum omnes qui, ex iis quæ à Theologis de gratia efficaci traduntur, salutis nostræ negotium inde magnam partem pendere intelligunt; quinimo ex ipsis Christi Domini sententia, qni Luc. 19. supremum Ierosolymorum exitium causæ alij minime adscribendum vult quam ignorantiae. Eò quod non cognoueris tempus vilitationis tuæ; qua de causa Apostolus suos hortatur Corinth. citato jam loco, caueant sibi ab hac ignorantia cum inde periculum sit ne in vacuum Dei gratiam recipiant; quia Deo tempus accipiente pro eo ac libet, nisi nos comparati simus promptique ad obsecundandum, qnid porro futurum est nisi vt gratia Dei in vacuū idest sine ullo fructu effectuue à nobis, nostro equidem malo recepta fuerit? quæ cum ita sint quis non perspicit quanti demum facere conueniat quoties diuinæ bonitati placet nos id præmonere?

Est vtique in singularis beneficij loco habendum quod cum cogitat Deus nobis boni non nihil & gratiæ largiri, id præsignificare etiam instituit

instituit quod ab eo fieri solet non uno tantum modo sed multiplici & vario siue extrinsecus per homines puta Prophetarum oraculis, Pontificum & Sacerdotum, aut eorum qui præfunt monitis ; sunt enim hi omnes velut ordinarij quidam diuinij numinis interpretes, quibus auscultare iubemur : siue id fiat intrinsecus per intima quædam animi sensa instinctusque diuinos aut humanas etiam præsentiones præsumptionesue quibus ex ipsis rerum circumstantijs, aliisque affectionibus ducimur ad coniectandum & præagiendum boni aliquid nobis apparari. Quod si contingat his omnibus modis insimul id præsignificari, non iam vnum sed multiplex beneficium habebitur. Hoc vero tandem est quod nobis in præsenti euenit ; ut scilicet cum Deus nobis in ann. proxime sequentem immensam bonorum spiritualium copiam accumulare destinauerit, ea de re varijs & compluribus modis certiores nos facere non dedignetur: nam præter ea quæ generatim de Iubileorum commodis feruntur cum in Scriptura tum alibi, quæ & in hunc etiam conuenire par est credere : de hoc speciatim tot tantaque suppetunt quibus præmonemur de consilijs diuinæ largitatis ut si ea minime stui accidat, non stetisse nisi per nos, fateri necesse sit. Nempe vel ipsa eius indicio quid urgere & inculcare aliud videtur magis quam anni huius opportunitatem communitatemque quâ peccatorum noxijs omnibus eluendis & præcipue carnis impuritatibus abluendis, quâ ineundæ cum Deo iuxta ac

proximis gratiæ reconciliandisque inter se animis, quæ pietatis & misericordiæ munis omnibus exequendis; sed præ omnibus me afficit quod de hoc anno diserte affirmateque dictum video, cum plenitudinem temporis habendum esse, in qua diuitiæ meritorum Christi SS. que pleniore in omnes manu dispensantur, & rese-ratis coeli foribus cœlestium benedictionum manna in Christi fideles abundantius fluit. E quibus verbis nos facile multoque certius quam Nil i restagnationibus olim Ægyptij, huius anni vbertatem fructuamque exuberantiam coni-cere possumus: quibus si addas temporis huius ac rerum circumstantias, conieaturæ huic haud parum firmitudinis accesserit: Certe Aposto-lus Gal. 4. Plenitudinem temporis vocat tem-pus illud quo reb. humanis usquequaque perdi-tis, Deus tandem decreuit misericorditer subue-nire: quod cum hoc tempore non obscure sit cernere in hac rerum omnium qua Civilium, qua Ecclesiasticarum subuersione, in hac ferrea ætate: in qua videmus tantum iam in terris ac-cumulatum esse malorum, vt nihil videatur posse adiici, vt iam ad Antichristi tempora per-ueniunt, subuerteri fas sit, quidni & nos temporis plenitudinem statuamus & diuinæ expectemus misericordiæ ac clementiæ subsidium.

Nunc ergo tempus est diuinam opem implo-randi, tempus impetrabile & acceptabile; nunc dies salutis, tempus miserendi quo diuinorum miserationum simul & largitionum copia in-gens effunditur, quo cœlitus manna benedi-

ationum & gratiarum pluit , quo Sanctæ iores patent , thesauri Ecclesiæ prostant & peruij sunt omnibus , quo haurire licet cum gaudio de fôribus Saluatoris , quo cataractæ omnes celestis munificentia ac liberalitatis aperiæ sunt , quo Indulgenciarum vniuersalis Cataclysmus terram inundat . Quare iam nostrum est quod Sapientum semper fuit , scriuire tempori , omnem dare operam ut ne quid nobis ex eo pereat , audire vocantem Deum , audire supremi Pastoris vocem atque optimi Patris monita quibus nos compellat non clangentibus tubis ut olim ; sed Euangelico Christi præconio , intrare ut iuuet exultantibus animis portas eius , & haurire cum Iubilo de eiusdem fontibus : patent nunc quidem hi fontes , portæque per hoc tempus referatæ sunt , panduntur omnibus diuinæ benignitatis thesauris at claudendi & obstruendi postmodum , occasio præter labitur , calua est à ieso , tempus effluit irreparabile ; nunc pœnitentiæ locum cessere indulgentijs ac remissionibus ; postmodo non nisi pœnitentiæ locus erit : Faxis Deus Opt. Max. ne sera nimis futura sic pœnitentia , Enim uero ut rectè monet Faust. Regi ensis epist. ad Paulin. Insultare Deo videtur qui eo tempore noluit venire ad medicum quo potuit , & illo tunc incipit velle quo non potest . Atque hæc quidem de Priuatis anni huius Iubilei fructibus in genere dicta sufficiant : nunc porro quoniam Indulgenciarum & remissionum præcipua quæpiam hic est ratio ; super est ut de his quoque non nihil ad extreum subijcam ,

Aio itaque annum hunc indulgentiarum & remissionum prouentui fructuario summè comodum maximèque omnium conducibilem & tempestiuum videri, quod sic paucis demostro. Ad Iubileum grauem causam requiri omnium Theologorum est sententia vid. Filliuc. c. 5. q. 8. Sylvium in tertiam p. D. Thomæ q. 25. a. 2. &c. Vnde si constet temere & de nihilo datas esse indulgentias aiunt frustra fore dationem. Ipsius met SS. Pontifices, Innoc. 3. cap. cum ex eo tit. de pœnit. Indulgentias huiusmodi de nihilo vocat inanes & irritas: Clem. 6. in Extrau. Vnig. dicit thesaurum Ecclesiæ pro pijs & rationabilibus causis esse applicandum: S. Cypr. tract. de lapsis redarguit eos qui temerè dabant indulgentias. Irrita, inquit, & falsa pax, periculosa dantibus & nihil accipientibus profutura. Iam vero non sufficit quæcunque causa rationabilis ad quantascumque indulgentias, sed requiritur ut aliqua intercedat proportio; ita ut quemadmodum vulgares sine causa concessæ nihil valeant, ita extraordinariæ sine extraordinaria & graui, non tantundem valeant, aut etiam nihil sint: quamobrem cum nulla potior ratio, nulla maior necessitas, nulla possit causa gravior & præstabilior inueniri quam ea huius temporis, quo videmus Christianitatem vniuersam non externis modo bellis sed internis quoque & interne cinis conflictari, quo hæresum & schismatum nouorumque dogmatum perniciosi fructices ubique pullulant, &c. Verum quoniam hæc magna ex parte ad publicorum fructuum

ac prouentaum huius anni rationem pertinent
ad proximè sequentia remittiimus.

*De Anni huius commoditate ad procurandam,
& promouendam omnipotentis Dei
gloriam.*

S E C T I O N I I .

VT rerum omnium finis diuina est glo-
ria ad quam cuncta spectare per se aut
referri demum necesse est , ita nullum
est tempus quod vacet ab officio eam
procurandi , quoad eius fieri potest , attamen
usu venire compertum , & exploratum habe-
tur non raro fieri ut tempora sint alia alijs com-
modiora magisque apposita ad id officij exe-
quendum , sic namque in usu communi & pu-
blico quædam sunt tempora diuino aut ecclæ-
siastico ritu rebus sacris addicta , Religioni pie-
tatiique , ac veluti priuilegio quodam diuino
cultui mācipata ; dies quidam Religiosi & Festi
quibus nefas sit aliud admodum agere præter id
maxime quod ad Dei honorem & cultum per-
tinet ; id genus tempora videmus aptiora com-
modioraque haberi rebus diuinis , Deo facilius
& efficacius demerendo ac procurandæ ipsius
gloriæ , idcirco ijs nominibus donari ea solent
cum in Scriptura , tum apud SS. PP. quibus id
plane exprimitur ; modo enim tempus placitum

& acceptabile, tempus faciendi: modo annus Domini acceptus: modo alijs nominibus idem sonantibus indigitantur.

Quæ quidem nomina, cum pleraque omnia in tempus Iubileum & annum quo de agimus præcipuè conueniant, non iniuria de annis omnibus Iubileis dici queat eos videri cum primis procurandæ promouendæque Dei gloriæ idoneos, & verò quis non facile intelligat multa in ijs omnibus inesse ad id magno pere conducentia, tot pietatis, pœnitentiæ, & misericordiæ opera, publicus ille & vniuersalis hominum concursus, religionis ergo ad inuisendas & lustrandas ædes sacras SS. Basilicas, solennes in eam rem supplicationes habitæ & institutæ; ecquà enim sunt alia his potiora & conciliandæ Deo gloriæ magis idonea? Deus glorificari amat in conspectu omnis populi, Leuit. 10. Vbinā ergo melius id fiet quam Romæ in Iubileo, coram innumerabili populo, vel potius populorum omnium generali quodam conuentu; Quod si peccata confiteri est dare gloriam Deo, phrasi Script. Iosuæ 7. quando nam id apertius fiet quam Iubilei tempore cum totus orbis Christianus ad factos Pœnitentiariorum pedes prouoluitur. Si Deo laudes concinere est Deum Glorificate, vt Tob. 11. Daniel. 3. & Luc. 20. & alibi passim Scripturæ: Ecquando id commodiùs sit quam per tempus Iubilei; dum Litanie & supplicationes publicæ habentur, dum ad concinendas Deo laudes vniuersas orbis in unam urbem velut in com-

mune templum conuenit , quid plura ? Si Deus
glorificari censetur Christo Authore , Math. 5.
quando publicitus & in hominum oculis bene
ac piè nos gerimus , vnde Dei gloria exoritur:
si pietatis & misericordiae mania obire , ex
Apost. 2. Cor. 9. si egenis benefacere & largiri
Eleemosynas , Deum est glorificare : Si porro
Deus glorificari vult in die visitationis . i. Petri
2. annon cuncta hæc ad sacrum Iubilei tempus
pertinent quam maximè ; ita sane .

Verum anni huius Iubilei tempus habere
videtur nescio quid præ aliis , quo Deum in
illo impensius glorificatum in sperare liceat :
nam præter illa quæ modo allata sunt , quæque
habet cum alijs omnibus communia , singu-
lare est & præcipuum quod in hoc primum oc-
currit ex rerum ac temporum , circumstantia
atque personarum complexu : videlicet quod in
id tempus cadat , atque in eam negotiorum quæ
nunc toto orbe geruntur concursionem , vt si
quid tandem boni ex hoc Iubileo existat , nihil
aliud interpretari liceat quam diuinæ opis id
esse : Deumque , ut communiter dicitur , quasi è
machina rebus deploratis & perditis succurrere .
Enimuero in hac tanta perturbatione rerum &
temporum , in his bellorum , turbarum , per-
duellionum motibus , regnum anastrophis &
conuersionibus ; in hac morum ac legum dissolu-
tione , in his opinionum dissidijs , in his malo-
rum omnium cataclysmis , in hac tanta animo-
rum consternatione , in hac orbis velut apocata-
stasi ; quid præter Dei præpotentis manum im-

plorare , & in quo de mūm alio nisi in eius pōtentissima ope fas sit spem ponere ; hoc autem ita sperare primūm , multoque etiam magis assequi ac impetrare : quis non videat ad Dei omnipotentis gloriam non parum conducere cum quidquid inde existit & exoritur gloriæ ac decoris , totum in Dei vnius potentiam refundi necesse sit.

Videndum ergo quæ potro sit spes , quibusue fulta argumentis aut coniecturis , ita futuram ut Iubilei huius beneficio bellorum & dissensionum motibus pax certa succedat , & securitas suboriatur ; morum prauitatem , vitæ emendatio excipiat ; vt quidquid est in dogmatis dignum vindice , corrigatur ; Evidem diuinandi artem non calleo , neque in ea Geminorum parte sortitus sum , quod sciam , horoscopum , in quo vates fieri aiunt ; at si coniecturis & argumentis agere licet , multa suppetunt quibus confieri omnino videtur quod in præsens queritur . Nam vt à bellis & quidem extensis incipiam ; quis nescit quod Turcas inter , & Venetos nunc geritur pro votis ita succedere ut nihil magis quam Dei præsens auxilium appareat , vnde patet quam in proclivi sit vt illa vis & potentia Turcarum formidolosa semper antea totique Europæ pertimescenda , concidat nunc tandem & pessum eat , spesque iam sit Deo dante quod affectum videmus nunc bellum , breui perfectum iri . Atenim vero quanti sane intersit ad Dei gloriam frangi vires Turcarum & Othomanicum illud imperium

Christiano nomini tantopere infensum, si minus euerti protinus, conuelli saltem & labefactari, non est meum hic disceptare: id autem futurum hoc anno summa spes est. Hac freti dicuntur Veneti ad magnos ausus animo assurgere; imo & maxima quæque meditari atque adeo moliri iam incipiunt. Ferunt quendam Dantzici in Polonia existere Apotelesmaticum insignem qui ex syderum aspectu & contemplatione didicerit fore ut anno proxime sequenti Turcicum imperium corruat quod & scripto publicauit; qua de re viderint quidem Astrologi veréne & ex artis scientia, an temere id ab eo dictam sit. Certe iam huius rei præludia videmus non poenitenda nam ut taceam superiorum aliquot annorum res sane mirabiles à Venetis gestas, & relatas sæpius ex eo hoste victorias terra marique; recens est & nuperum quod accepimus æterna dignum memoria, quodque ad Dei omnipotentis gloriam nunquam satis commemorabitur; Gliscit animus hic paucis rem magnam perstringere, erunt qui pluribus enarrare insituant, sed nobis parergòs excurrere nisi certis finibus non licet, ergo hæc pauca nunc accipite.

Auditum erat post Ibraimi Turcarum Imperatoris necem successori eius nihil altius animo insedisse, quam ut bellum Creticum omni ope vrgeret; classem protinus in eam rem sub ipsa Constantinopoli intra sinum Propontidis adornâdam curauit, primo quoque tempore Cretam versus Candia obsidioni perurgeundæ

submittendam: alia vero ex parte Naves Bisetinæ & Ægyptiæ subsidio comparantur: jamque summa vis belli in procinctu erat. Interea Veneti quib. præter cōmplures alias diuturni & grauis belli iniurias, proximo superiore antio tempestas classem disiecerat & profligauerat; non desponderunt illi quidem animos; sed diuinæ opis spe freti ad copias nauesque instaurandas applicuere oculūs tātoque in id incubuere studio ut breui noua classe comparata quasi è naufragio emergentes, vīsi sint quodammodo reuiuiscere. Igitur sumpto inde consilio hostem non sustinendi modo aut propulsandi sed pro virili etiam adoriendi: hoc consilio ipsas Hellesponti fauces, Dardanellas vocant, occupare parant, missis in eam rem aliquot nauigiis trimibusque, Iacobo Riua duce, qui Myoparōnum præfectus erat. Hic in mandatis & in animo nihil aliud habebat quam fauces illas tenere ita vsquequaque obseſſas ut hostium classi planè intercluderetur exitus, quod & per aliquam multos menses effectum est sedulo ac fœliciter, donec tandem hostis moræ impatiens quâ pudore quâ tædio, seque ut feram intra caueam inclusum teneri indignatus, quauis via erumpere statuit.

Dies erat sexta Maij S. Ioannis ad portam Latinam mirabili victoria nobilis, cum nouus Bassa Generalis Præfектus sumpta occasione fauentis malaciæ in altum se dat non animo pugnandi (neque enim rebatur Venetorum classem nauium duntaxat vnde uiginti aufuram

id tentare) sed institutum iter Candiam versus
capessendi ; & jam ex sententia cesserat ; cursus
enim quem tenebat tam procul à ventorum
classe eum abduxit ut qui obfisteret vix inuen-
tus sit unus aut alter ; prior Hieronymus Ba-
taglia fuit duabus rancum nauibus obniti para-
tus , cui accessit Bertuccius Ciuranus ; hi
ambo ita strenue egerunt ut Turcica classis
in summum discordem ventura videretur nisi
noctis interuentu ventoque remittente , fugâ
sibi consuluisset ; haud sine graui tamen suorum
jactura , ut postea auditum ex captiuis . Hæc
velitatio fuit atrocis prælij , quod postmodo
consecutum est : Etenim Veneti cæptis tam
bonis tamque auspicatis instare certi , viis om-
nib. hostem insequi proponant ; indagare igitur
atque explorare quaquaersum , perconrari
sedulo ; perlustrare , odorari latè omnia : tenuit
hæc indagatio totos sex dies ; donec tandem die
duodecima cum prima luce deprehensa est clas-
sis Turcica stans in portu Focchiæ iuncta trite-
mibus Beis fultaque octonis nauibus Barbaricis
adeo ut constaret 72. tritemib. Mahonis 10.
Et undecimi magnis nauibus .

Tunc Præfectus Riuia vir non minoris pru-
dentiæ quam virtutis bellicæ cum Ciurano
aliisque ducibus consilium init , quib. ut pri-
mum res plena quidem aleæ appareret , visum
tandem audendum , animis opus esse ac viribus ,
quod ubi tescitum in vulgas , probari cæptum
est omnib. Itaque conclamatum illicò ad
armas ; sed ut cuncta auspicato fierent , fusæ pri-

mò ad Deum preces ; habita dein à Duce
hortatiuncula (quamquam non opus erat sti-
mulis suapte jam sponte currentibus) curatum
inde corpus pro tempore : Ita comparatis om-
nib. signoque pugnæ dato, non recta in hostem,
qui amplio ac tuto porta cludebatur, itum : sed
quo facilius circumueniri posset, circumduci
retrocedentium in speciem cœpere, ita ut rece-
dere eos Turcæ rati exprobare inconditisque
clamorib. insultare institerint ; sed non diu læ-
titia stetit : nam ecce tibi continuò aspirare
ventus ab occasu valdè secundus quem cælitus
missum crederes, vsque adeo opportune adfuit ;
rostris igitur obuersis passisque late velis, tanta
celeritate portum irrumpunt ut etsi angusto sit
aditu ac proinde interclusu facili, non value-
rint tamen Turcæ, cum ob suorum trepidatio-
nem, tum ob vim celeritatemque nostrorum,
ingressu prohibere : edixerat dux Venetus suis
ne cessarent donec sub proras hostiles fixissent
anchoras, quo facultas omnis declinandi con-
gressus tolleretur : hoc igitur quam sapienter
edictum fuerat, tam fortiter peracto, nulla
morâ cœpit conflictus tanta vi, tanto strepitu
& fragore quâ sclopotorum quâ bombardarum,
qua classicorum signorumque militarium, qua
demum horizonis v lulatib. & inconditis voca-
ferationib. maximè Turcarum, quorum nume-
rus erat præter Remiges, decem millium eoque
amplius, magnam partem Ianizarorum ; adeo
ut cœlum ac solum misceri salo & cuncta in
Chaos relabi viderentur : Tenuit atrox pugna

horis plus duab. Præfecto generali Riuia nullum summi Imperatoris officium omittente.

Hem tibi vnam è multis ; Mahona hostilis in nauim Scoticam impressionem fecerat tanta vi, vt jam à complurib. Turcis insella tenetur, in oculis Præfecti id siebat cum ille certus huic naui succurrere , præciso fune anchorario & repetitis Bombardarum istib. non destitit donec Mahonam omni ex parte quassatam fractamque depresso : vnde Basla indignatus adoriti eum instituit ; sed repulsus suorum, è quib. 25. perierte , dira clade ac veluti cæstro percitus arma furoremque in Ciuranum vertit, a quo haud paulo mitius est exceptus (nam si fides captiuis) inibi tandem oppetiit. Nec alibi ardor pugnæ remissior , ubique par Venetorum virtus ita vt Turcæ pugnando fessi ægræque ferentes se tam male haberi à Christianis qui petrariarum machinatumue aliarum cum ignib. catenas clausisque ferreos vomentium, continua displosione, stragem horrendam edebant, fugæ consilium inierint , qua portinus arrepta in terram proflientes stridore & baritu horsono cuncta complebant : prælium nox diremit ; quo tempore Riuia spectaculum ut ederet funestum & luctuosum hostib. suis vero lætum, nouem ipsorum naues succendi imperat vnâ cum trib. Myoparonib. ac gemina trireme : festos ignes esse dices victoræ indicies; ne tamen hoc forte incendio classi Venetæ periculum aliquod subesset , placuit portu excedere , quod & factum est non sine aliquo

animi sense, quod ad cumulum victoriarum restare aliud non nihil videretur. At enim sub existentia arcem Focchiae oppugnari visum est e re: quam & brevi tormentorum vi ad deditio[n]em coactam obtinuerunt, sicque victores terra marique nihil tutum reliquere hostib. quos cernere erat palabundos quaquauersum fugere sequi tremib. relictis in penitissimos montium recessus abditum ire; desideratis, ut vel ipsorum fuit supp[er]putatio, septenis millibus & quidem lectissimorum milium, plerique enim ex Ianisaris erant.

En præludia quibus præpotens Deus anno proxime sequenti prolusum voluit, en pignora diuinæ illius voluntatis qua iubemur bene deinceps sperare, & animis confidere futurum ut non patiatur Deus suam nobis deesse potentiam operi que, modo nobis ipsi ne desimus. Non deerimus autem ipsi nobis si stat rite ea exequi que Iubileus fert ac præscribit vniuersa, si placando numini omnem nauare operam certi sumus, si pro eo ac præcipit SS. Dominus N. in sua iudictione condonatis inuicem offensionibus abiectisque tandem armis quæ cum funesta Christiani sanguinis effusione nimis jamdiu exercentur, ad communem credentium matrem fraternalis ac Iubilantibus animis conuenimus, ibique quæ præscripta sunt omnia peragimus, si demum rixas & contentiones odioque inueterata propter Christum dimittimus, omnes carnis impuritates abluiimus, &c. his rite peractis haud dubium quin Deus suos respiciat,

hostium vires & impetus retundat & ad sui nominis gloriam Otomanicæ illius potentiæ colossem vi quondam Nabuchodonozoris statuam comminutum eat ; qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus ; Ephes. 3.

Itaque tempus faciendi Domine ; nimirum anno hoc Lub. tempestuum plane & commodum est hoc exequi quando deposita omni fiducia quæ in armis & in humana virtute consistit, nulla supereft nisi in te uno inque tua virtute Deus Sabaoth, quando fideles tui ad preces & vota conuersi nihil magis satagunt quam ut sua expugnent vitia , Sathanæ Regnum euertant, Tartareaas potestates debellent ac superent deque tuis suisque hostibus triumphent non ferro aut ignium vi ; sed iugi prece, sed pœnitentiæ, pietatis, misericordiæ operibus. Tu ergo misere, re nostri Deus omnium & respice nos & ostende nobis lucem miserationum tuarum & immittre simorem tuum super gentes quæ non exquisierunt te ut cognoscant quia non est Deus nisi tu & enarrent magnaliæ tua : Alleluia manum tuam super gentes alienas ut videant potentiam tuam sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in eis , ut cognoscant te sicut & nos cognouimus , quoniam non est Deus præter te Domine : innoua signa & immuta mirabilia, glorifica manum & brachium dextrum , excita furorem & effunde iram , tolle aduetarium & afflige inimicum, festina tempus , & memento

, finis ut enatrent mirabilia tua Eccl. 36.

Scimus non ita pridem SS. Pontifice non re minus quam nomine Pio orante atque instar Mosis ad celum tollente manus , relatam è Turcis gloriosam memorabilemque victoriam: habemus & nos qui præeat nostris omnium votis ac studiis Sanctissimum Pontificem re itidem non minus quam nomine ipso Innocentium qui puras atque innocentes manus sursum erigat , gratus plane impetrabilisque orator: cui accedunt deprecatores longè maximi potentissimique SS. Apostolorum Principes vna cum DD. Martyrib. cælitibusque aliis quorum visitandis Sacro-sanctis Basilicis Iubileus maxime indictus est. Adde his porro Cleri totius vota , & adprecationes ; adde populi vniuersi atque ordinum omnium studia , supplicationes obsecrationesque ne plura : pugnabunt Turcæ aliquique Christiani nominis hostes ferro ac manu; nos autem pietate, diuini honoris zelo , preicatione: Superiores illi habentur, armis , viribus, copiis , hominum multitudine ; at nos superabimus animis , virtutibus Deique ope imprimis ; hi in curribus & hi in equis , nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus: Ps. 19. Hæc namque sacra sunt arma militantis Ecclesiæ , hi Gedeonis litui , hæ sunt mysticæ & spirituales buccinæ quarum usus est in Iubileo quibuscue Ierichuntis muri expugnantur: vide Serar. in c. 6. Ios. q. 8. id more suo præclare enarrantem ; mihi enim cuagari non est animus.

*De huius Anni opportunitate ad promouen-
dum S. Ecclesiae exaltationem &
tranquillitatem.*

SECTIO III.

Alterum quod Iubileo hoc publicè quæritur, est Ecclesiae propagatio & amplificatio, simul & tranquillitas. Nauis est Ecclesia & quidem excipiens conuehendisque cunctis mortalibus parata; magnam & copiose instructam esse conuenit, tempestates ac procellas timet, tranquillum amat; arca est, cuius illa vetus Noetica typus & symbolum fuit; non in Oceano aut in mari aliquo sed in universo terrarum orbe enatata, ut illa; utraque hominum saluti comparata est, utraque à Deo regitur; de illa porro scriptum habetur Gen. 6. quod tandem exaltata fuerit atque eleuata. Et multiplicatae sunt aquæ & eleuauerunt arcam in sublime. Iterumque proximo cap. de eadem dicitur requieuisse supra montes Armeniæ. Hem in arca typice adumbratum quod reapse Iubileo hoc an. (quem antea vidimus annum esse diluuij gratiarum & benedictionum celestium anno diluuij illius veteris antitypum) Ecclesiae prestantum dicimus: sed iuuat in hac mystica accommodatione nonnihil subsistere, & ex SS. PP. qua-

L

apposite hęc inter se quadrent ostendere.

Exaltata igitur & eleuata est arca aquarum vi:
Multiplicatæ sunt aquæ & eleuauerunt arcam
in sublime , multiplicationi aquarum eleuatio
hęc arcæ adscribitur: quid sibi id velit sensu my-
stico accipite. Ecclesiam Arcæ symbolo expri-
mi diximus, per aquas populorum frequeniam
intelligi nihil contritus aut obuium magis
apud SS. PP. quibus preit Scriptura; Apoc. 17.
Aquæ quas vidisti, populi sunt & gentes, Ezech.
cap. 1. Is. 1. 19. &c. Itaque dum dicitur mul-
tiplicatæ sunt aquæ & eleuauerunt arcam in
sublime , sensu mystico & accommodatatio si-
gnificat ex multitudine & incremento populo-
rum exaltatum iri Ecclesiam; Primo quidem ex
incremento & accessione populorū per conuer-
sionem ad Christi fidem , quomodo non tam
exaltatur atque in sublime attollitur , quam
dilatatur Ecclesia: Multiplicasti gentem & non
magnificasti Ieritiam ; Is. 9. Dein maxime ex
accessione & conuentu populorum in vnum,
quod fit dum fideles congregantur vel in Conc.
Generale , vel in Concionem aut cōtum ali-
quem pium ac religiosum, tunc namque eleuari
& exaltari Ecclesiam contingit: siue quia erigun-
tur, quæ collapsa erant siue quod diuina consi-
lia extolluntur, siue quia Dei effertur gloria &
predicatio: In Ecclesia magna & in populo graui
laudabo te : Psalm. 34.

Anno hoc Jubileo multiplicatum iri aquas
inde que Ecclesiam exaltatum iri patet, cum
populi omnes Romam conueniunt conferto

agmine, nec populi modo sed & populorum rectores ac principes tò aduolabunt, juxta vaticinium Psalm, 46. Principes populorum congregati sunt: utinam vero ita fiat? Certe quidem paterne & amabiliter ab optimo parente SS. D. N. inuitatos esse constat ex eius Bulla: si hoc ergo ita eueniat quis dubitet fore vt Ecclesia inde non parum incrementi accipiat mirumque in modum exaltetur; res per se ipsa loquitur nec mea aliqua testificatione indiget: quare quo id commodius fieri valeat curandum esset pro eo ac in sua inductione S. D. N. commendatum voluit vt Romipetarū & peregrinorum incommodis periculisque cautum sit, vt tunis incedant itineribus & nulla hominum vexatione perturbentur sed hospitalibus domibus & publicis diuersoriis amanter excepti & commeatu rebusque ad vitam necessariis recreati, sine villa concusione & iniuria institutum iter lati peragant: Ita S. P. aliisque id genus plura quibus hospitalitatem imprimis & misericordiam aduersus peregrinos commendat.

Ad quæ verbum Ecclesiastæ c. 11. eiusd, argumenti libet hic adiucere, non solum quia huc pertinet, sed quoniam ad allegoriam cui insistimus mirifice confert: est ergo huiusm. Mitte panem tuum super transeuntes aquas; quod de pauperibus & egentibus peregrinis dictum interpretari mihi visum semper fuit misnime absonum: Cum enim per aquas multitudo vulgi in qua plebeij & paupertini insunt, Scripturæ phrasí significetur; per transeun-

tes aquas quid aliud conuenientius accipi pos-
fit quam viatorum & peregrinorum vulgus,
cui panem hoc est eleemosynam dari monet
Ecclesiastes. Hoc vero Iubilei quam maximè
proprium esse quando turmatim Christiani
omnes promiscue & quidem magnam partem
proletarij & pauperum Romam peregrinari
instituunt Iubilei ergo; quis non videt: atque
hinc porro intelligit quam concinne & apposite
quod de aquarum diluuij allegoria allatum est,
in rem nostram quadret.

Vnde & alterum quod jam sequitur, vt vi-
delicet arcae requiem mysticè seu vt vocant
per ecbasim, paci & tranquillitati Ecclesiæ
aptamus, non parum lucis accipiet; vt enim
dilapsis & subsidentibus aquis requieuit tandem
arca sub finem anni; ita demum Ecclesia anno
hoc Iubileo peregrinorum turbis & populis se
ad sua recipientibus quietem pacemque
optatam sibi pollicetur, quam Deus Opt. max.
tot supplicationibus publicis, tot votis suorum
placatus, mundo referet: non enim (vt senior
ille Tobias rite monet cap. vltim.) delectatur
, in perditionibus nostris quia post tempestatem
, tranquillum facit, & post lachrimationem &
fletum exultationem infusavit; hac spe fatus
haud dubie S. D. N. Iubileum indixit nempe
vti protestatur ad S. Ecclesiæ exaltationem &
tranquillitatem quam sibi jure spōdet obtinen-
dam: hac spe & fiducia ne excidat, nostrum est
dare operam, eius desideriis ac votis salutaribus
pie adhærendo, monitis auscultando, exemplis

& vestigiis insistendo, &c. inde enim tranquilitatem Ecclesiæ inseguuturam spes certa fuerit, cui firmandæ vnum suppedit è re nata occurrens quo iuuat hāc totam sectionem claudere, vt vel sic S. Pontificis nomine & sigillo obsignata permaneat: Nec vero recedemus ab ea comparatione quam haetenus prosequuti sumus Arcæ veteris Noeticæ cum Ecclesia.

Nostis cum de Columba à Noemo ex arca sub finem diluuij emissa ut videret si jam cessassent aquæ super faciem terræ Gen. 8. proditur quod cauta & fidia exploratrix semel iterumque id officij executa fuerit tamdemque reuersa sit rostro gestans frondem oliuæ, quo intellexit Noë quod cessassent aquæ super terram; ibidem. Certe ne quid desit ad perfectam absolutamque omnibus numeris analogiam, en Columbam plane eiusdemmodi quam SS. Patriarcha noster & Pontifex suppeditat: aduertistis, opinor, in eius gentilitiis stemmatis Columbam extare instar Noeticæ illius ramum oleæ rostro præferebantem; bonam profecto alitem; unde augurium rite peti liceat haud paulo sane melius ac certius eo quod vetus illa Cornix Capitolina edidit; fortunatam prorsus sub auspiciis optimi SS. que Pontificis, boni omnino omnis, pacis & tranquillitatis auspicem; huius auis penas sibi deposcebat Regius Vates ut volaret & requiesceret Psalm. 54. nimirum S. Hilario teste in Psalm. 118. cum cæteræ aues volando laborent, columbae proprium est volando quiescere atque in ipso volatu requiem nancisci

quod si in Ecclesiam deriuare liceat; quidni
merito auguremur fore ut sub auspiciis Pam-
philianæ huius Columbæ hoc est sub Inno-
cent, vereque Columbino Pontifice pacem &
tranquillitatem nanciscatur.

*De eiusdem Anni opportunitate ad hæresum
extirpationem.*

SECTIO IV.

Sectionem hanc vnde melius exordiar non
video quam vnde alias concionem suam
Londini in publicis Angliæ comitiis
exorsus est summus eiusd. regni Cancella-
rius Vintoniensis Epise. vt in vita Cardinalis
Poli habetur scriptum: is igitur Sapientissimus
Angliæ Cancellarius cum de Regni illius ad
Sedis Romanæ vnitatem & Catholicam fidem
reconciliatione ageretur, concionem habiturus
nihil quod argumenti loco sumeret, & vnde
orationem suam auspicaretur inuenit aptius
quam verba hæc ex Apostolo Rom. 13. Tempus
est jam nos de somno surgere &c , mihi nunc
pariter verbis iisdem vti subit; etenim si illum
ad id mouit & impulit luctuosus qui tunc erat
Angliæ status: certe & is haud paulò luctuo-
sior & miserabilior habendus & non vnius mo-
do regni sed totius æque Christiani orbis deplo-
randa est miserrima conditio : Ecquid enim

vacat hoc tempore malis; vt quod de Ægypto olim Exod. 12. fertur nullam fuisse domum in qua Angelus exterminator non reliquissit vestigia aliqua furoris sui, nullum mapale rectumque in quo Ægyptij quod lugerent pro se singuli non haberent; id de Europa dici nunc conueniat, nullum quippe in ea regnum cernere est, nullam regionem aut prouiniam à malis immunem, quo vel bellicos furor vel turbarum & perduellionum vis; vel, quod peius est, nefaria hæreseōn lues, vel certe vitiorum ac flagitorum prope omnium colluuios, vel ad extre-
mum omnia hæc consertim admixta non perua-
serint; vt de nobis nostrisque his temporibus dictum maxime videatur, Os. 4. illud: Male-
dictum & mendacium & homicidium & furtum & adulterium inundauerunt & sanguis sanguinem tetigit. Nolo hīe refricare malorum om-
nium nostrorum memoriam, heu! nimis dum recentem & acerbam; parco oculis & auribus.

Vnum tamen est qnod hīc à me præteriri nequit quodque ob sui vetustatem & diuturni temporis usum quasi callo jam obducto vix sentitur. Id porro est tetra & immanis illa Hæreseōn lues quæ pridem grassabunda partem maximam Europæ populata est, nec vi aut arte prohiberi vñquam potuit, quamuis qui se ei opposuerint Reges ipsi atque Imperatores fuere, supremique adeo Pontifices vñ cum generalibus Conciliis; sed oportet & Hæreses esse i. Cor. 11. Atenim qnemadmodum in pu-
blicis pestilitatibus videmus accidere, vt null a

vt initio coerceri valeant quin erumpant & serpant, nullisque obstantibus antidotis late peruagentur, donec subsidente demum ac velut fatuscente vi mali, per se ipsa desinit; ita & in pestifera Hæresum lue evenit ut principio insanabilis & contra vim omnem remediorum gliscere pertinax, tandem aliquando subsistere & ipsa per se, atque adeo absistere prolsus cogatur. Quod cum ita sit quidni de hac ipsa lue hæresum huius temporis idem pariter expectari conueniat; habuit nimirum illa suos ortus suos que incrementa & progressus patrum aut aurum nostrorum memoria cum admirabili prosperitate ac successu plane incredibili coniuncta: resedit postea nonnihil ardor ille; atque, ut ipsi vocabant, religionis zelus quo sub initia inardescere visi fuerant; paulatim eò res omnis dilapsa est ut nihil inde nisi speciem aliquam & nomen retineant. Quod spem & fiduciam assert non levem fore ut breui penitus concidat & deficiat: faxit Deus opt. maxim, ut quod nascens videre monstrum Patres nostri aut in cunis vagiens; Nepotes nostri postmodo extinctum videant! Certe quidem videri annum hunc ineuntem Iubileum huic rei peridoneum perque opportunum multa sunt quæ suadeant; è quibus aliqua hic perstringere pretium operæ existimo: rem in medium affero æstimandam æquis censoribus.

Sciunt vnà mecum omnes qui aliquid sciunt, quo nunc loco Hæreticorum res sint; tum quod ad Religionē, tum quod ad politicum ac

ciuilem statum attinet , qua ratione inter ipsos conueniat,qua pietate Deum qua fide & obseruantia Principes suos colant , quam iuste ac modestè agant cum hominibus: nolo hic vetera accersere, aut procul dissita ; in proximo exemplum habemus primam in suo genere planeque peremptorium quod vel vnum sufficiat ; nondum exactus est annus cum Angli id ausi sunt quod nulla vñquam hominum natio , nulla gens tam effera tamque immanis, nulla vt verbo dicam Barbaries tētauerat ut Regem suum non necauerint modo ipsi atque è medio sustulerint, sed nescio qua iuris specie post homines natos inaudita in iudicium ac forum pertraxerint suisque sententijs atque adeo securi subiecerint: inde Anarchiam meditari coeperint : quid plura ? protas in iam atque epitasis vidimus ; quænam eos maneat catastrophe , pone scenam adhuc latet, tamen præsumptio est fore tragicam. Et vero ne hoc à me nunc gratis dici ac temere videatur, possit id quidem facile ad politicorum normam exigi ; ecquis enim non continuo intelligat fieri nequaquam posse quin post violatum tam immaniterius Regiae maiestatis & supremi Principatus, ij quorum interest iniuratum & sacrosanctum tueri, Reges , cunctique Principes supremi id agant omni ope ut sui saltēti subditi exemplo hoc pessimo corrupti, animaduersione consecuta discant , sacra hæc iura supremæ maiestatis non impune à subditis violari. Mitto Principes ipsos quibus facta est iniuria, affinitate , aut consanguinitate summos

quosque Europæ Principes attingere , Reges Galliæ ac Daniæ , ducem Allobrogum , Prin- cipem Auriacum , Palatinum Rheni Comitem , imo & Infantem ipsam Hispanię ; quasi uero tan- ta in hos omnes redundantis iniuria impunitatem sperare debeat sempiternam . Evidem ut cre- dam ipse non queo , & quæ huic meæ opinioni fidem faciant permulta habeo in promptu ; sed quoniam politica sunt à meoque instituto aliena , supersedeo , vt ea solum quæ mearum sunt partium exequar , ad leges igitur & iura Theo- logiæ hoc totum exigo .

Norunt facile omnes qui vel modicè Theo- logicis imbuti sunt , certam esse peccatorum ac scelerum mensuram ad cuius cumulum finit Deus improbos impune grassari : eo autem quando primum attigere non sinuntur ultra progredi , sed diuina Nemisi poenas repetente improbitatis suæ vim tandem experiri incipiunt . Hac ratione Phariseis olim à Christo dictum est , Math. 23 . Implete mensuram pa- trum vestrorum : quasi diceret , agite quod agitis , hoc quippe factò mensuram patrum ve- strorum impletuti estis , quod & fecere perpe- trata Christi ipsius iniquissima & immanissima nece : ergo Phariseorum instar Angliæ Hæretici Patrum suorum mensuram impleuisse nunc vi- dentur : quod sic facile demonstro . Nondum plane clapsum est sæculum post quam ipsorum parentes vnà cum Religione Catholica iugum omne subiectionis & obedientiæ excusserant ; ac primùm quidem Rom. Pontificis iura non

humana modo & ciuilia quibus abusque Inao
ipsorum Rege, hoc est ab hinc mille propemo-
dum annis sedi Pontificiæ obstricti tenebantur,
Sed diuina etiam diro Schismate & immani
Apostasia interuerterant. Inde Anarchiam in
Ecclesiam atque in administratione terum sa-
cerarum obtruseres donec tandem consultum vi-
deri cœpit , vt ne corpus Ecclesiæ apud eos
Acephalum haberetur , Regem Angliæ supre-
mum caput tam in spiritualibus quam in tem-
poralibus habendum esse decernerent. Sed quo
successu probat exitus fatalis & tragicus quem
videmus modo : prius tamen quam ad eum
descendamus iuuat progressum attendere:nimi-
rum qui erga verum & legitimum caput sibi
diuinitus datum se ita impie ac nefarie gesserat,
erga supposititium quodque sibi meti ipsi con-
finxerant , quonam alio se modo gererent nisi
quo par fuit de nefarijs atque impijs expectari ?

Hoc igitur modo semper cum Regibus suis
egere , vt nihil antiquius vñquam habuerint
quam dare operam ne eorum potentia & autho-
ritas in tantum omnino excresceret , quatenus
subditis potestas non relinqueretur , eam cum
vidererur & allubesceret compescendi , aut
etiam conuellendi; hinc porro non solum sum-
ma illa Parlamenti , siue Comitiorum regni
authoritas semper formidolosa & suspecta Re-
gibus, sed quod peius est vis quædam seu ve-
sania potius popularis qua sibi semper per-
missum voluere in Reges suos ut pro libidine
eos punire ac deponere , aut è medio etiam

tollere possent. Certe Caluinistarum, siue Puritanorum ut vocant ea lex est è Caluini dogmatis prompta vt ius sibi hoc vendicent, Reges suos & Principes deponendi & exauthorandi, imo & perimendi quandocumque ipsis visum fuerit; ita namque Caluinus in cap. 6. Daniel. cui subscribunt Beza ep. 41. David Pareus in cap. 13. ep. ad Rom. Hic quidem multis de causis id fas esse ait interque alias hasce quatuor statuit, Primam cum degenerant in tyranos. Secundam cum Religionis vel iustitiae praetextu sua querunt commoda. Tertiam quando grauant conscientias subditorum. Quartam quando sunt homicidae, vel luxurioti, vel stolidi, vel infideles. His succinunt alijs passim, & ne extra Angliam vager: non diu est cum Good-manus minister Anglus in lib. qui inscribitur quem admodum Magistratibus sit obedientia cap. 9. de hacre ita scriptum fecit: Quandiu Principes & Magistratus etiamsi coram Deo impij sint, scelesti & reprobi, exterius tamen curant Dei leges custodiri & obseruari ab alijs, tandiu debemus illis obedientiam: fin vero audacter & ipsi leges Dei transgrediantur & aliis id ipsum præcipiant, tum perdiderunt eum honorem & obedientiam, neque deinceps habendi sunt pro magistratibus, sed puniendi tanquam priuati homines. Demum ostendit potestatem ipsos puniendi penes populum esse in diuino iure: quoniam Reges inquit, ius regnandi à populo habent qui occasione data illud reuocare potest, ita nebulo ille; cui adde

Bucchananum eiusdem farinæ ac gentis hominem, cuius est hoc oraculum, lib. de iure Regni Populi ius est de Sceptro disponendi pro libertu suo; populus Principem in ius capitum vocare potest.

Hæc sunt iura, hæc leges sacrosanctæ, hæc Caluinistarum & Puritanorum priuilegia quibus non semel usus fuisse constat ex Angliae annalibus: hoc scil. iure Mariam Stuartiam Scotorum Reginam coegerunt ut Regno abdicaret se, Iudicium capitum subiret ac tandem regiam ceruicem securi subderet. Sed parum hoc erat præ illorum audacia nisi & cum matre filiam regnique legitimam hæredem perdere conati essent; ut quod in lege diuina vetatur Exodi 23. hædum coquerent in lacte matris suæ: & ne quis putet falso & temere hoc à me dictum ex aliquo in eos malevolentiae affectu ipsummet loquentem & conquerentem audire hic iuuat. Et quidem cum jam regni utriusque qua Scotti qua Anglii compos ab iis maxime colli & obseruari videretur. De Iacobo Regis ultimi parente hic agi puto facile intelligi, hic igitur libellum edidit Basiliandoni inscriptum ad filium, quem multa moneta salutaria, atque imprimis caueat sibi à Comitalium abusibus & monopolis, vt vocat. 2. obuiam ire studeat turbarū initiis & progressibus, pænarum seueritate in earum Authores statim animaduertendo. 3. suspectos habere nunquam desinat eos qui ipsius animam pessime oderant cum fieri vix possit ut iij partum amena-

qui parentem oderint. 4. Anglicanæ Religio-
nis motus conuersionesue non tam zelo pietatis
quam studio partium, & perduellionis licentia
existere; cum enim, inquit, turbulenti homines
cœpissent degustare dominādi dulcedinē subla-
tis è medio duabus Reginis Matre & Auia, Re-
gis ipsius minoritate abusi Democratiam sibi
imaginariam fingere studuerūt, nouique tribuni
plebis sine populi tamen suffragio creati cœpe-
runt turbas cire atque authoritatem Regiam
pessundare, eo demum prolapsi audaciæ vt
dicerent palam, ita videri à natura comparatum
vt Reges ac Principes communiter libertatis
Ecclesiæ sint inimici. Vnde subinfert: Cau-
dum ergo Fili ab hoc Puritanorum genere fæ-
uissima Regnorum & Religionis lue quos nulla
potest gratia demereri, nulla lex aut iusluran-
dum obstringere; subdit postmodo in eam rem
longe plurima; postremo Deum attestatur pe-
rinde ac si testamentum conderet, eos videri
montanis aut limitaneis prædonibus tetrores
hortaturque vt eos porro exterminatum eat.
Ita Serenissimus Rex Iacob. occisi parens, qui
vtinam parenti sapientissimo auscultasset! næ
consultius multò, vt reor, fecisset sed Epime-
thei est post factum sapere; at nos aliud non
quærimus nisi vt quo processu ad cumulum im-
probitatis & malitiæ nefarij regicidæ ascende-
rint, ex eorum factis appareat.

Hem igitur seriem & syllabum otdine. Primò
omnium abdicarunt fidem Orthodoxam & re-
nuntiarunt Ecclesiæ; Romano inde Pontifici

negarunt obedientiam eiisque dominio quâ temporali quâue spirituali se substraxerunt, tum pro supremo Ecclesiæ cap. Regem ipsum agnoscentes etiam feminæ, proli nefas! Papatum contulerunt: Ex inde religio & pietas omnis ruere; atq; ex aduerso impietas gliscere vna cū immanibus afflictis & alumnis proterua, immanitate, licentia, perduellione, &c. Hinc ortæ, primum illa Comitiorum suprema authoritas & tribunitia quædam vis longe deterior ea Caij Imperat. Duocratia, cuius meminit Cælius antiq; leet. l. 7. c. vlt. Aq; indidem illa Puritanorū audacia furorq; quibus adducti fuere, vt non modo in Sacrosancta Regum suorum iura declamare, sed inuolare etiam ausi fuerint: quin & in eorum capita ac vitam cum occultas, tum apertas coniurationes moliri, per vim id quidem: At longius aliquanto vesaniae progressi in eosdem ipsa veluti iura & leges armare non sunt veriti. Nempe in Piæ primum atq; Innocentis Reginæ ceruicem furor hic desquijt ac subinde non semel vim suam latenter exercere haud desijt; nunc tandem pro suprema manu ac totius sceleris coronide Regem ipsum Regnique potente in multis iam annis, prole auctum multiplici, cognationibus & affinitatibus longè maximis fulsum, bonis omnibus charum virtutibusque non exiguis præditum, non dabitarunt armis belloque internecino persequi, captum in custodia tenere, è custodia in custodiam traducere; ac tandem post varios & multiplices anfractus, subditorum potestati subiçere, reum agere, in
inuicibilis

ius vocare, ad iudicia aut tribunalia potius facinorosorum hominum protrahere; contra ius fasque omne nullo actore, nullo defensore, vanis & captiosis interrogationibus lacessum iniurijisque omnibus affectum, capitibus ad extremum damnare & barbari carnificis manu vita priuare. Annon hic **extremus** est Tragoediarum actus pariterque supremus furoris & vesaniæ cumulus? Quid restat post hæc nisi ut noui Gigantes Deum è cœlo deturbatum eant? addunt tamen & ad hunc cumulum ut regiam omnem prosapiam exterminare satagent, legitimo Regi & heredi ius suum dengent: denique nihil non agant quo suam proteruiam immunitatemque tueantur, quorsum vero hæc nisi ut dum humanæ vltionis ac justitiæ vim declinare student, diuinæ obnoxij fiant, ut impleant peccata sua semper, pernenit enim ira Dei supra illos usque in finem; primæ Thess. 2. Atque hæc pro Hæreticis seu potius Leopardis Britannicis.

Quod si liberet nunc alias Sectariorum lustrare prouincias quam omnia ad conuersionem spectent facile esset aduertere: ferunt certe Serenissimum Danicæ Regem spem suis facere conscientiæ libertatis adeoque & facultatis Romanam fidem ubique ditionis suæ prædicandi, quod Iubileo proximè futuro factum iri vount sperantque boni omnes. Quid de Suecorum fortissima gente cuius Regina cum id ætatis iam sit ut viro matura habeatur quid proprius quam ut Deo annuente Principem quæmpiam Catholicum

tholicum sortiatur qui vel eam Ecclesiæ reconciliet, vel subditis (finitimi Regis Daniæ exemplo) Religionis optandæ copiam faciat: quem enimvero præpotens Deus Saræ huic Tobiam destinet nescimus; at Raphaelem quidni aliquæ expectare nobis liceat. De Galliarū autem regno nihil dicere attinet, cum jam constet vim & factionem Hæreticam ita Opt. inuidissimique Regis Ludouici lusti fel. mem. virtute frætani, ut inde extremos sp̄ititus ægrè trahat, nihilque videatur morari aliud quo penitus concidat, quam supremam manum.

Annum hunc Jubileum videri summe opportunum constituendæ Catholicorum Principum concordiæ.

SECTIO V.

PAcem diu est cum experimus & exspectamus, dicentes pax, pax; & non erat pax. Ierem. 6. Cur ita? num scil. quia Principes inter, non satis conuenit? aut quoniam ubi bellum semel exarsit maximos inter potentissimosque Principes haut ita facile extinguitur? sit ita sane: Atenim vero quid causæ est quamobrem inter Principes Catholicos minime conueniat? quid prohibet quomodo bellum hoc restinguī valeat? an non boni sunt Principes, imo & longe optimi, Christiani

M

omnes, eiusd. fidei consortes, eorundemque Sacramentorum & mysteriorum participes; plerique omnes inter se affines aut etiam consanguinei: quid ergo obstat queat illorum concordiae? nonne egregia jam per complures annos huic rei nauata est opera & ægre tandem ex parte iniri coepta est? causentur alij aliud, mihi aliud nihil in præsens succurrit dicere nisi illud Capitis octaui Prophetæ eiusd. Expectauimus pacem & non erat bonum: hoc est interprete S. Hieronymo, non erat quo pacem mereremur & impetraremus à Deo. Opus iustitiae pax Isa. 32. quod verum est, non tantum quia iustitia fætus atque ut Pindarus Olymp. loquitur, filia, est pax; sed etiam quia absque justitia sit, pax existere nequit: opus nimirum Iustitiae seu virtutis est; opus sanctimoniarum, charitatis, misericordiarum, pietatis. Verbo opus est functionibus atque exercitio omnium virrutum (id quippe venit hoc loco iustitiae unius nomine) ad pacem obtinendam, absque eo sit frustra fuerit pacem querere aut optare; ita Hebrei, ut referatur in Capitulis PP. ex R. Hillel: Pacem tranquillitatemque publicam non nisi ex cultu iustitiae oriri ac gigni docent. Præterea cum in confesso sit Dei unius esse pacem dare, nostrum est eam votis & precibus impetrare, ita porro si ut tandem Deo dante pax optata consequatur.

Quæcum ita sint pacem hanc in proximo jam esse quis non facile perspicit? annus instat Jubileus quo nihil sanctius quam pieattis, misse-

ricordiæ , charitatis , omnisque sanctimoniorum officia exercere , quam vota precesque ad Deum fundere quam Religionis munia frequentare . Quidni igitur spes sit conciliatum iri inde concordiam pacemque Principes inter Catholicos Deo sanctè ac fæliciter quâ votis & precibus , quâ pijs operibus exorato . Maxime vero cum non pauca sint præterea huic firmandæ idonea atque imprimis quod jam fæliciter cœptum affectumque adeo videmus , ut Germanicæ Pacis prægustentur primitiæ ; inita enim inter Aquilam & Gallum concordia , proximum est ut Gallum inter & Leonem bene conueniat . Certè quidem id nos sperare iubet diuina bonitas potissimum , ac deinde SS . Pontificis janæ cum summa autoritate singularis animi affectio qua vtriusque partis iura paterne amplectitur , cui vt alien Phineæ Deus vnâ cum supremo Ecclesiæ Sacerdotio statuit testamentum Pacis , cuius vel gentilitium stemma Columbam præfert gestantem rostro Oleæ ramum ; in vetustis qnibusdam nummis Imperatorum Adriani & Seueri , imago visitur cum ramo oleæ , hac epigraphæ Restitutori Pacis : Epigraphen hanc optimi maximi Pontificis Columba suo sibi iure vendicat , quippe quem Deus orbi Christiano pacis sequestrum dedit , Christique hac etiam ex parte Vicarium esse voluit . Christum scimus iure præcipuo Pacis Arbitrum inter homines fuisse , Principem pacis vocat Isaias cap . 9 . multis prorsus de causis , quarum fortè omnium potissima est , quod pacem sanxerit

non aliquot dierum vicissitudini obnoxiam, sed
planè sempiternam; quia, inquit Propheta,
multiplicabitur eius imperium & pacis non erit
finis: ibid. Atque hoc maxime dum constituta
Ecclesiæ Monarchia, seque, è medio sublato &
absente, suum illi suffecit Vicarium, qui non
solum supremus est Iudeo^x causarum omnium
Ecclesiasticarum; sed communis Christiano-
rum Parens & concordiæ pacisque inter ipsos
conciliandæ arbiter ac fouendæ præpositus.
Romani ergo Pontificis est inter reliqua eius
munia vices Christi gerere in sancienda tuen-
daque Christianorum pace & concordia, quoad
eius fieri poterit. Quare ubi discordiæ aut bella
incident, idem ei faciendum incumbit ac Chri-
sto ipsi Domino si adesset; ut modo his tem-
poribus turbulentis & in hac diuturna Regnorū
conflictatione videndum sit quid Christus im-
præsens faceret; haud dubie grauissimam inter-
cessionem autoritatemque suam interponeret,
paternis hortationibus & monitis daret operam
ut arma abijcerentur ponerenturque odia, & pa-
cis consilia exaudirentur.

Hoc enimvero est quod maxime agit hoc
tempore S. D. N. pro dignitate proque eo ac
decet SS. Christi Vicarium; ut vel eius Indictio-
ne manifestum sit, in qua videre est inter alia
eiusdemmodi, verba hæc studij illius ac zeli
plenissima quibus Reges & Principes cumpri-
mis, tum cæteros omnes ita affatur. Vos Prin-
,cipes ac Reges qui vexillum Crucis in fronte
,gestatis, vos filij promissionis, gens Sancta,

Populus acquisitionis, vos qui timetis Deum
, pusilli & magni vno omnes ore offerte in
, templum eius sacrificium laudis; & condonatis
, inuicem offenditionibus in anno remissionis ac
, pacis, abiectisque tandem armis quæ cum fu-
, nesta Christiani sanguinis effusione, nimis
, jamdiu exercentur, ad communem hanc cre-
, dentium matrem, ex qua lac fidei omnes pari-
, ter suxistis, fraternalis ac Iubilantibus animis
, conuenite. Haec tenus Pater Optimus SS. que
Dominus Christi Domini Vicarius, quæ qui-
dem sibi à Christo Vicarij verbis dicta, utinam
Christiani Principes persuasum haberent! maxi-
mi momenti ac ponderis fore apud eos nullus
dubito. Quocirca ut iis nunc pro colophone
ad sectionem hanc claudendam utar, libenter
equidem facio, non sine summa spe & fiducia
non parum sane valitura, nisi mens lœua sit, ad
conciliandam componendamque pacem: quod
sperare ut libeat facit diuina bonitas cuius est
pacem dare, quod mundus non potest; & faciet
porro ubi nostrorum scelerum obex sublatus
fuerit, ubi nempe Iubilei beneficio & Indul-
gentiarum vi noxxæ omnes condonatæ abolitæ-
que fuerint. Albohazen insignis Astrologus
tradit Solem cum ingreditur signum piscium
ad pacem inclinare: hoc si verum sit summam
profecto hoc anno ad pacem fore inclinationem
propensionemque credi necesse est; quippe
quem totum Sol in signo Piscium, in Urbe Pis-
catoris, ad sacra Apostolorū hoc est Piscatorum
limina, atque ad ipsorum Successorū Sæcullissimos

pedes traducturus est, quem videmus jam ab eodem solenni eaque Piscatoris annulo obsignata Indictione promulgatum: quidni igitur sperate fas sit compositum iri tandem aliquando Pacem, statuendum bellis ac dissensionibus modum, sociandos Fidelium animos, dextrisque interiungendas, constabilienda Germaniaz pacta conuenta, quibus stare alij Principes haud detrectent; quo Pax Generalis toto orbe Christiano obtineat; & Iani fores referatis per hunc annum Iubilei Portis obserentur. Quid porro obuenturum sit, haud equidem plane scio; neque enim vero ariolus aut vates sum; neque rei euentum praetare est animus: at bene ominari iuuat & de Domino æquum est sentire in bonitate cuius beneficio hæc bona Pax, si qua de-
mum futura est aliquando existet.

*Iubileum hunc annum videri conducibilem &
commodum Populi omnis Christiani solatio
& sanctificationi.*

SECTIO VI.

Post compositam inter Principes Catholicos concordiam & pacem, quid super est nisi ut Populi solatio & sanctificationi prouisum sit: inde enim cumulus atque ut ita dicam Iubileus quidam beatitatis existet. Quare S. D. N. postquam egit de concordia

Principum, illicō subiungit de populorum solatio & sanctificatione cui utriusque Iubileum hunc institutum indictumque vult. Nos igitur de utroque hic pariter agemus, siveque caput hoc de ineuntis Iubilei fructibus demum absolvemus. Ordinem vero eundem tenebimus ut prius de solatio, mox de sanctificatione dicamus.

Iubileum veterem Iudaicum populi solatio comparatum fuisse palam est, cum ex Iosepho antiq. lib. 3. c. 10. tum præcipue ex Scripturæ sententia quæ fert, si qua fides Abulensi q. 6. in 25. Leuit. in anni huius institutione Dominum non alijs quam pauperibus magis consultum voluisse: hac de causa si quis penuria urgente distrahebat forte agellum, nec potis eslet redimere aliquando, emptor manebat dominus ad Iubileum usque; quo tempore agellus redibat ad pauperem qui eum alienarat, hoc quippe in gratiam pauperum factum nemo non videt, quemadmodum & aliud Iubilei eiusdem priuilegium de seruorum manumissione, item de debitorum remissione. At omnium maxime in pauperum gratiam & commodum cedebat quod agricultura cessaret quodque autophyta & sponte nascentia meti vetabantur. Vnde factum ut hic annus non remissionis modo, sed & gaudij ex Clem. 6. vocaretur, terra videlicet sabbathizante atque interea populo omni otio & conuiuiis vacante, prorsusque hilaritudini dedito: Iubilatum pro clamore Rusticorum lætitiae & gaudij indice accipi author est Valla

¹ x Varrone, ut vel inde profectum suspicio sit ;
ed hæc de Iubileo vetere.

Noster autem quâ ratione ad populi solatium comparatus sit nunc videndum, certe quidem si de solatio spiritali, seu animæ agatur, in proclivi est ostendere quo modo is ad spiritale solatium populi conferat, cum vel ipsum indulgentiarum & remissionum nomen quibus hic ann. maximè commendatur hoc sufficienter arguat ; quia tamen hoc ad sanctificationem quoque pertinet, quod est alterum caput, ne videamus duo hæc confundere, & quia SS. Domini Nostri ea quoque mens fuisse videtur, ut per solatium quod Iubileo quæri vult, seorsim aliud à sanctificatione intelligatur, non pigebit paucis discutere qua ratione solatium aliquod etiam temporarium è Iubileo hoc reportari queat. Aio itaque cum in huius anni prouentibus ut dictum est, pax existat ; fore ut bellis prorsus extintis & æterna pace firmata populi subleuentur subsidiorum & tributorum oneribus queis grauari eos contigit alendis, instruendisque exercitibus, adornandis classibus, &c. Vnde consequens est factum in vestigium diminutionem, contributionum exemptionem, sublatis ablegatisque exactoribus, mancipibus, sectoribus, sycophantibus, depeculatoribus, deprædatoribusque & reliqua id genus hominum fæce famniota : qui enim pessimant plebem tuam inuenient perditionem; Eccles. 36. ac tum deinceps populus non solam ab armis ac terroribus bellicis, sed ab ipsis etiam tributorum & subsi-

diorum exactiōnibus extorsionibusue conquis-
cet, vel certe exactiōnes hæ demūm vtrone&
oblationes, & donaria sīt: Mitto alia pacis com-
moda populique solatia quæ hoc anno extitura,
haud vana spes est, neque enim uero ea recen-
sere omnia vel meæ opis, vel libelli vnius fue-
rit, nedum sectiunculæ, & iam ad finem prope-
ranti nihil breuitate est potius; quare quod re-
stat nunc de populorum sanctificatione, perpau-
cis exequi certum est.

Iam igitur quæd ad populorum sanctifica-
tionem attinet, hoc huius anni maxime pro-
prium ac præcipuum esse quis non videat, cum
in eum finem omaino comparatum constet,
eoque Sanctum per metonymiam cognomina-
tum vidimus non solum quia Iubileus hic an-
nus sanctificari solitus sit quemadmodum &
apud Iudæos olim, sed quoniam percommo-
dus perque idoneus sit sanctificandis fidelibus:
Iubilei institutio efficit, ex Clement. extrau.
, Vnigenitus, vt cunctorum Fidelium augeatur
, deuotio, fides splendeat, spes vigeat, charitas
, incalescat. Coniector hic minime consulendus
est, res ipsa per se loquitur; si quod est tempus
cum pietati & sanctimoniae Christianis vacare
subeat, haud scio an vllum sit aliud: nunc tem-
pus acceptabile nunc dies salutis 2. Cor. 6.
Tempus faciendi. Ps. 118. Quando diuinitus
suprema quæque charismata spiritualium ac
cælestium bonorum abunde in Ecclesiam exu-
berant, quum Pontifex summus Christi Vica-
rius ærario sanctiore aperto Indulgentiarum &

gratiarum thesauros plena manu fidelibus diligitur, quum piorum operum summa est crebitas, pietatis, eleemosynarum, hospitalitatis & beneficentiae erga pauperes maxime peregrinos: quum Christianis omnibus Samaritanis illius Euangelici exemplo, nihil magis cordi atque in usu est, quam viatorum peregrinantium curam suscipere, eos subleuare omni ope atque opera officijsque omnibus prosequi; quum denique viget religionis ac charitatis studium, exardescit animorum zelus, homologeos & Poenitentiæ exercitia frequentantur: affatimque est bonorum operum cuiusque generis.

De quodam Generalis Deuotionis anno, cuius commeminit Sigon. lib. 17. de regno Ital. & ex eo Spondan. contin. t. 1. sub an. Sal. hum. 1233. accepimus, sic dictum quod Religiosorum quorundam hortatu viserentur passim omnium ætatum, sexuum ordinumque homines Litanis & supplicationibus publicis rite institutis per vias incedere, cruces & vexilla præferentes ac ramos & cereos accensos tenentes: quod cum ad pietatis ac deuotionis sensum non parum obuios quosque commoueret; ex eo annus ille vulgo Generalis Deuotionis annus est appellatus. Quid de nostro iam dicere par est in quo præter augustas & Pontificales illas almæ Vrbis supplicationes; Peregrinorum vndeque Romam procedentium agmina, generalis quædam Christiani orbis processio non immrito dici queat: quibus & si addas cætera

pietatis, misericordia & charitatisque officia quorum hoc anno summa vis est ac frequentia: certe non generalis modo deuotionis, sed & charitatis ac misericordia, liberalitatis, zeli, poenitentiæ, virtutum omnium; verbo omnis sanctimoniam, vniuersalis Iubilei annus, vere sanctus merito iureque appellabitur.


Equidem non sum nescius minime desaturum Sathanam qui se tam sanctis & salutaribus institutis opponat, qui disturbare haec omnia atque interuertere omni ope satagat; jamque adeo aliqua videmus extare Zizaniorum ab eo prosectorum germina, jam prodit è latebris serpens antiquus, jam caput exerit suumque virus effundere incipit: ac quemadmodum initio primorum Parentum Innocentiae & sanctitatis originariæ statum subuertere propositum habuit; ita nunc SS. PP. Innocentij Sacrosancta piaque statuta labefactare molitur. Verum frustra fore cuncta eius machinamenta, conatusque omnes vanos atque irritos, nullus dubito; nempe in tuto est & praesidiis septa firmioribus Iubilei siue Sancti huius anni Sanctitas, quam ut expugnari aut violari à quoquam possit: potest sane quidem tartareus hostis cætera Iubilei commoda fructusque alios omnes corrumpere; potest nimirum Turcas, Tartaros ac reliquum omne Barbarorum genus in nos immittere: pariterque ipsos inter se Christianos Principes committere; potest disseminare iurgia, rixas, & odia vbiuis; Schismatum, Hæreseon, nouorum dogmatum Zizanja spargere; potest facile

turbas ciere , tranquillitati Ecclesiæ & paci in-
commodare , Petri nauem exagitare & concu-
tere potest , Christiani denique populi solatia
infestare , hæc cuncta potest ille quidem : at
sanctitatem anni huius , eosque quos effert pie-
tatis ac virtutum fructus haud valet attingere:
extra vim ac tela Dæmonū sunt hæc animi bo-
na, spiritales hi prouentus illorum non patent
iniuriis ; nihilo sane magis quam Iobi anima,
cui Deus ita cautum voluit ut cum cætera eius
omnia Sathan sibi haberet obnoxia , in eam
tamen nihil iuris sibi esse intelligeret. Job 2.
Pari iure Iubilei huius nostraque indidem san-
ctificatio est, vt quicquid contrà moliatur Dæ-
mon , quantumuis ringatur & fæuiat , nihil sit
quod sibi illa ex eo magnopere metuat ; quippe
cum ex se apta , non aliunde quam ex nostro
ipsorum arbitrio Deique vnius gratia pendeat,
quicquid foris obstrepit aut infrendet , maliue
intentat, non terret quia non nocet.

Quare nostrum jam est , hoc præsertim tem-
pore sacri & vniuersalī Iubilei , anno hoc san-
cto quem benignitatis diuinæ annum esse jam
diximus , cauere etiam atque etiam pro eo ac
monet Apost. 2. Cor. 6. ne in vacuum gratiam
Dei recipiamus : sed omnem dare operam , vt
quo plus gratiæ diuinæque opis nunc suppetit,
eo sanctificationi impensis ardenterisque in-
tumbamus. Erit vero , nisi diuina nos fallant
oracula, pretium operæ, si primū quidem quæ
Iubilei religio fert quæque in ipsa eius Indictio-
ne præscripta sunt omnia stet rite exequi : cont

, donatis inuicem offenditionibus abiectisque tandem armis quæ cum funesta Christiani sanguinis effusione nimis jamdiu exercentur; ablutis ad hæc omnibus carnis impuritatibus, &c.


Ac tum porro si ad Dei misericordiam supplices eonfugimus; si ad eius opem pacemque votis ac precibus exposcendam nos damus; & quidem, vt in promptu sit quo id rite ac commode fiat, his aut totidem verbis,
Deus Sancte, omnipotens & misericors sine
quo nihil est ualidum, nihil sanctum, miserere
plebi tuæ super quam inuocatum est nomen
tuum, & Israel quem coæquasti Primogenito
tuo; miserere ciuitati sanctificationis tuæ,
Ierusalem ciuitati requiei tuæ; reple Sion
inenarrabilibus verbis tuis & gloria tua popu-
lum tuum, &c. Eccles. 36. vel Christiano &
Sanctiore ritu; Ter-Sancta terque adoranda
Trinitas Deus vñice, cuius volūtas est Sanctifi-
cationis nostra, memore esto seruorum tuorum fide-
lium quos possedisti ab initio; Pater sancte
serua eos in nomine tuo & in nomine dilecti
Filij tui, Sanctifica eos in veritate tuque ô Fili
Sanctissime, mundi Seruator, Sanctitatis fons
indeficiens, effunde in nos Sanctificantem Spir-
itum qui à te simul & à Patre indiuisim procedit;
mitte eum nobis hoc tempore, Anno hoc San-
cto, in hac Sacrosancta vniuersalis Iubilei Pen-
tecoste, vt nobiscum sit & nobiscum laboret, vt
sciamus quid acceptum sit apud te, idque hinc
deinceps atque adeo in æternum fideliter firmi-
terque exequi perseueremus. Amen.



Corollarium totius operis.

HACTENVS porro quorum mihi nunc cunque in mentem venit de Iubileo siue Anno Sancto, quæ tu (mi Lector oculissime) pro tua humanitate boni, vt equidem spero , consules; atque in Libellum hunc redacta, pro Kalēdali Xeniolo, si videbitur, accipies ; quod tibi sub Anni huius Sancti seu Iubilei initium offero ; vt vel sic Romam forte ad Iubileum ire volens, nec valens, Iubilei & ipse compos fieri valeas, etiam citra viæ periculum ac tædium aut aliquòd viatici impendium. Est quidem certe manusculum hoc leuidensæ, crassi , ac solocis fili, malique coloris, pinguioris , vt dicitur , Mineruæ vel potius Arachnes opus, vile prorsus & triobolare, atque adeo (si Superis placet) titiuillitij ac nihili; vt decet nempe opus præproperum & præfestinatum operæque admodùm tumultuariaæ , putà trimestre aut quadrimestre pensum ; idque alienissimi temporis , lociue ; æstuorum videlicet, mensium corundemque (vti fere euenit in Septimania, vbi contigit fieri) æstuosissimorum , de loco autem, ne quid aliud dicam , omni librorum aut alia quâuis literatia ope procul : Quid ergo mirum jam ita defectum , mendisque de-

formatum apparere ? At nolo hic quicquam pro
me causari aut excusatione aliqua vti , neque
vero attinet ; præstat confessione clara & inge-
nua, vt moris est fieri in Iubileis, veniam atque
Indulgentiam promerer , & si quid peccatum
erratumue est, corrigendum atque emendandum
proponere : hac igitur fini , en tibi ad calcem
huius operis breuem Elenchum notabiliorum
quorundam erratorum ; minutiora enim & quæ
venialia sunt, præsertim si sint etiam manifesta-
ria atque emendatu facilia , confiteri necesse
non est quod si qua demum etiam è grauioribus
meam aliqualem hanc diligentiam effugerint,
tu (mi Lector) facile, vt spero , ignosces , &
vbi agnoueris, corriges.. Vale.



<i>Pag.</i>	<i>Lin.</i>	<i>Errata.</i>	<i>Corrigē.</i>
Pag. 9.	v. 11.	scriptura.	Scripturæ.
Pag. 12.	v. 17.	possim	passim.
Pag. 31.	v. 17.	annos.	anno.
Ibid.	v. 22.	à tūm.	ac tūm.
Pag. 39.	v. 28.	Archiui.	archiuis.
Ibid.	v. penul.	hemergo.	Hem ergo.
Pag. 44.	v. 5.	alteram.	alterum.
Ibid.	v. 6.	quam.	quod.
Pag. 46.	v. 6.	Lateranēsis.	Lateranēsē.
Pag. 55.	v. 12.	pię prom- téque.	pię prom- ptęque.
Pag. 57.	v. 22.	Patres.	Pontifices
Pag. 62.	v. 8.	poscmus.	poscimus.
Ibid.	v. 11.	remittie.	remittite.
Ibid.	v. 21.	odio.	odia.
Pag. 65.	v. penul.	id quæ.	idque.
Pag. 49.	v. 11.	defentus.	detenus.
Pag. 111.	v. 17.	quæ :	: quæ ,
Pag. 123.	v. 22.	Ecclesia.	Ecclesiae.
Pa. 126.	v. vlt.	nnum.	annum.
Pa. 134.	v. 27.	vindicatum	vindicatum
Pag. 135.	v. 13.	dum.	tum .
Pa. 140.	v. 12.	sine.	sive.
Pag. 141.	v. 3.	æris.	aeris.
Pa. 145.	v. 9.	præsentio- nes.	præsensio- nes.
Pag. 155.	v. 30.	ventorum.	Venetorū.
Pa. 156.	v. 6.	porta.	portu.
Ibid.	v. 9.	exprobare.	exprobrare.
Pa. 168.	v. 1.	vt.	vi.
Pa. 173.	v. penul.	animam.	auiam.

